

**PHILOSOPHIA  
MENTIS.**

АПОСТОЛ  
ПАВЕЛ

АПОЛОС ПАВЕЛ

PHILOSOPHIA  
MENTIS  
METHODICE TRACTATA  
ATQUE  
AD USUS ACADEMICOS  
ACCOMMODATA  
*secundis curis*

P. F. FORTUNATI A BRIXIA

ORD. MINOR. S. FRANCISCI REF. PROV. BRIXIA.

*TOMUS SECUNDUS*  
Metaphysicam universam complectens.



B R I X I A . M D C C I L .  
Excudebat JOANNES - MARIA RIZZARDI.  
S U P E R I O R U M A P P R O B A T I O N E ,  
E T P R I V I L E G I O .

АИНОПИЧ  
СИТИ

МЕТОДИЧЕ ТРАТАТА  
АДІСУ АОДБИКОС  
МОСКОВОДАТА

РЕГРУСТА АРИХА

СІЛВІЯ САДЫБА

МІСІЧНА ДІВІЦІЯ

СІЛВІЯ САДЫБА

МІСІЧНА ДІВІЦІЯ

І РІКІА. МДСІІ

Лічопись Іоанн-Марія Бізані

СУБРІЮДУ АБІСОДАТОНЕ

СІЛВІЯ САДЫБА

# METAPHYSICAE SYNOPSIS.

Prolegomena in Metaphysicam :  
pag. 1.

## METAPHYSICES PARS I.

### ONTOLOGIA,

sive

### DE ENTE.

#### DISSERTATIO I.

De notione entis realis, ejusque  
affectionibus.

### SECTIO I.

Exponitur notio entis realis, paucisque  
ostenditur, quomodo entis attributum  
rebus conveniat.

pag. 4.

### SECTIO II.

De entis veritate, bonitate, & unitate.  
p. 9.

### SECTIO III.

De distinctione, & identitate. p. 13.

#### DISSERTATIO II.

De possibili, & impossibili; necessa-  
rio, & contingenti; mutabili, &  
immutabili; rerumque essentia,  
& existentia.

### SECTIO I.

De possibili, & impossibili. p. 17.

### SECTIO II.

De necessario, & contingenti, mutabili,  
& immutabili. p. 23.

### SECTIO III.

De rerum essentia, & existentia. p. 29.

#### DISSERTATIO III.

De substantia, & accidente deque-  
ente absoluto, & relativo, sim-  
plici, & composito.

### SECTIO I.

De substantia, & accidente. p. 41.

### SECTIO II.

De ente absoluto, & relativo. p. 50.

### SECTIO III.

De ente essentialiter simplici, & compo-  
sito.

p. 57.

#### DISSERTATIO IV.

De causis.

### SECTIO I.

De causis in genere. p. 64.

### SECTIO II.

De causa efficiente. p. 72.

### SECTIO III.

De causa finali. p. 82.

### SECTIO IV.

De causis materiali, & formali. p. 86.

### SECTIO V.

De causa exemplari. p. 93.

## METAPHYSICES PARS II.

### PSYCHOLOGIA,

sive

### DE MENTE HUMANA.

#### DISSERTATIO I.

De natura mentis humanæ, ejusque  
origine.

### SECTIO I.

Expenditur, an humana mens sit substanc-  
tia spiritualis, num vero corporea. p. 96.

### SECTIO II.

An humana mens sit immortalis, num  
vero in morte una cum corpore pe-  
reat. p. 129.

### SECTIO III.

De origine mentis humanæ. p. 163.

#### DISSERTATIO II.

De mutuo commercio inter mentem  
humanam, & corpus.

### SECTIO I.

Exponitur commercium inter humnam  
mentem, & corpus. p. 189.

SE-

## SECTIO II.

*An mutuum commercium inter humanam  
mentem, & corpus in systemate causa-  
rum occasionalium sufficienter explicet  
tur.*

Pag. 195.

## SECTIO III.

*Expenditur sistema harmoniae præstabilis-  
tæ.*

p. 206.

## SECTIO IV.

*Ostenditur, quid de causa commercii men-  
tis cum corpore sentiri probabiliter pos-  
sit.*

p. 306.

## DISSERTATIO III.

*De potentiis animæ rationalis.*

## SECTIO I.

*De intellectu.*

p. 321.

ARTIC. 1. *De origine idearum.* p. 322.

ARTIC. 2. *An dentur ideæ innatae, num  
vero omnis nostra cognitio a sensibus  
dependeat.* p. 330.

ARTIC. 3. *An humana mens semper co-  
gitet.* p. 346.

ARTIC. 4. *De objecto intellectus.* p. 351.

## SECTIO II.

*De voluntate.*

p. 352.

ARTIC. 1. *Voluntatis objectum determi-  
natur.* p. 353.

ARTIC. 2. *An humana voluntas sit po-  
tentia libera.* p. 358.

ARTIC. 3. *An & quomodo voluntas ab  
intellectu in operando dependeat.* p. 379.

## SECTIO III.

*De memoria.*

p. 386.

## METAPHYSICES PARS III.

### THEOLOGIA NATURALIS,

five

DE DEO.

## DISSERTATIO I.

*De existentia Dei, ejusque præcipuis  
attributis.*

## SECTIO I.

*Deum existere demonstratur.*

p. 392.

## SECTIO II.

*Præcipua Dei attributa expedituntur.* p. 405.

## DISSERTATIO II.

*De Deo prævidente, concorrente, &  
determinante.*

## SECTIO I.

*An cunctæ res creatae divinae providentie  
subjiciantur.* p. 424.

## SECTIO II.

*An ad omnes creaturarum actiones Deus  
immediate concurrat.* p. 434.

## SECTIO III.

*An Deus physice prædeterminet causas  
creatas ad agendum.* p. 437.

F I N I S.

AP:

## APPROBATIONES.

Cum jussu Reverendissimi Patris Cajetani a Laurino totius Ordinis S. Francisci Ministri Generalis attento, serioque animo expenderimus opus, cui titulus est: *Philosophia Mentis Tomus secundus*, opera, & studio R. P. Fortunati a Brixia Strictioris Observantiae elaboratum, nihilque in ipso invenerimus quod Orthodoxæ Fidei, probisve moribus, vel minimum adveretur, dignum idcirco censemus, ut communis scholarum utilitati publica luce fruantur, si ita videbitur &c.

Brixiae in Conventu Corporis Christi die 22. Martii 1741.

F. Carolus a Golleono Theologiae Lector.

F. Prosper a Brixia Theologiae Lector, & Diffinitor Generalis.

FR. CAJETANUS A LAURINO Lector Jubilatus, Catholicæ Majestatis in Regali Congressu Matriten. pro Immaculata Concepcione Theologus, ac totius Ordinis Fratrum Minorum S. P. N. Francisci Minister Generalis, Commissarius Visitator Apostolicus, & in Domino Servus.

Dilecto Nobis in Christo R. P. F. Fortunato a Brixia, nostra Ref. Prov. Brixiae Lectori Theologo, ac Ordinis Scriptori, Salutem, & Seraph. Benedict.

Cum juxta Apostolicas nostrique Ordinis Constitutiones de mandato nostro, idonei Censores Opus quoddam a Te elaboratum, cui titulus est: *Philosophia Mentis Tomus secundus*, recognoverint, illudque ab ipsis revisum, & approbatum fuerit: Nos presentium tenore, cum salutaris Obedientiae merito, Tibi facultatem impertimur, quatenus servatis de reliquo servandis id, ipsum Typis mandare possis, & valeas.

Datum Neapoli ex nostro Conventu S. Didaci die 12. Septembris 1742.

F. Cajetanus a Laurino Minister Generalis &c.

L. + S.

De mandato R̄mi in Christo Patris  
F. Jo: Laurentius a Roma Secr. Gñlis Ordinis:

## NOI RIFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOVA.

Concedemo Licenza a Gian-Maria Rizzardi Stampator di Brescia di poter ristampare il Libro intitolato: *Philosophia Mentis methodice tractata atque ad usus Academicos accommodata opera & studio P. F. Fortunati a Brixia Ord. Min. S. Francisci Reformatorum*, osservando gli ordini soliti in materia di Stampe, e presentando le Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 30. Novembre 1748.

( Gio: Emo Proc. Rif.

( Barbon Morosini Proc. Rif.

Registrato in Libro a car. 37. al num. 306.

Michel Angelo Marino Segr.  
PRI-

## PRIVILEGIUM EXCELLENTISSIMI SENATUS.

PET<sup>R</sup>US GRIMANI DEI GRATIA DUX VENETIARUM &c. Universis;  
 & singulis notum facimus hodie in Consilio Nostro Rogatorum captam fulse Partem tenoris infra scripti videlicet: Sopra l' instanze, che ci furono fatte da Gian-Maria Rizzardi, Libraro e Stampatore di Brescia, siamo discesi a permettergli la stampa nello Stato Nostro del libro intitolato: *Philosophia Mentis*, con una *Dissertazione Fisico-Teologica*, ed altre *Aggiunte*, Opera del P. Fortunato Minor Riformato della Provincia di Brescia, ed a concedere a lui solo, o a chi averà causa da lui, ad esclusione d' ogn' altro, il Privilegio per anni dieci, da intendersi principiato dal giorno della presente, della stampa, e vendita del libro medesimo tanto in questa Città di Venezia, quanto in qualunque altro luogo dello Stato Nostro, a condizione che sia impresso in buona carta, perfetti caratteri, bel margine, e diligenti correzioni, da esser prodotti nel Magistrato de' Riformatori dello Studio di Padova in riscontro li primi, successivi, ed ultimi fogli, e che siano presentate nelle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova le solite Copie. Resta perciò a Stampatori tutti, Librari, ed a qualsiasi altra persona così di questa, come di qualunque altra Città del Dominio Nostro, che causa, e facoltà non avesse da esso Gian-Maria Rizzardi proibito il vendere, per detti anni dieci lo stesso libro in poca, o molta quantità, il farne seguir le ristampe in Esterno Stato, anche con l' abusiva Edizion di Venezia, e l' introdurle nello Stato, sotto pena della perdita degli Esemplari, e di Ducati cinquecento, da esser applicati un terzo all' Accusatore, un' altro terzo all' Accademia de' Nobili alla Zuecca, ed il rimanente al Privilegiato. Sotto le medesime pene sia pure vietato ad ognuno, per li riferiti anni dieci, di contrafare il libro medesimo in qualsivoglia sua parte sotto pretesto di restrinzione, correzione, aggiunta, o mutazione di titolo. Per il che commettemo tanto al Deputato all' estrazione de' Libri dalla Dogana di non licenziare dalla medesima, o da altro luogo ove esistessero, quelli che non fossero corrispondenti agli esibiti nelle Pubbliche Librarie; quanto al Segretario di non rilasciar Mandato, dovendo intendersi tutti perduti, e confiscati, ed incerto il trasgressore nelle pene come sopra. A chiara intelligenza d' ognuno volemo inoltre, che nel principio, o nel fine del libro predetto sia in aggiunta delle solite licenze registrata la presente come stà, e giace. Quare auctoritate hujus Consilii mandamus omnibus, ut ita exequi debeant.

Dat. in Nostro Ducali Palatio die XXIII. Augusti Indictione XII. MDCCXXXIX.

1749. 25. Agosto.

Gl' Illmni, ed Eccmni Signori Riformatori dello Studio di Padova hanno al sopradetto Gian-Maria Rizzardi Libraro, se Stampor di Brescia concesso il su espresso Privilegio.

( Gio: Emo Proc. Rif.

( Z. Alvise Mocenigo 2.º Rif.

(

Michiel Angelo Marino Segret.

PRO-

# PROLEGOMENA IN METAPHYSICAM.

**M**ETAPHYSICA est scientia rerum earum, quæ vel re ipsa a materia, sive a corpore a substantia secreta sunt, vel per considerationem ita ab ea praescindunt, ut, quæ de illis demonstrantur, corporis, incorporeisque rebus sint ex æquo communia. Definitur propterea: scientia theoretica, quæ circa ens generatim sumtum, ejusque affectiones per mentem abstractas, speciatim vero circa substantias spirituales, prout naturali lumine a nobis cognoscibiles, tota versatur.

## I.

Dicta est autem metaphysica, hoc est, si nomen latine interpretari velimus, scientia super, vel præter physicam, sive naturam. Metaphysicus enim eas, ut diximus, res considerat, quæ naturam, sive sensibilium rerum compagem, circa quam, veluti circa proprium objectum, occupatur Physicus, transcendunt prorsus atque exsuperant. Hinc Metaphysica solet etiam sapientia nuncupari, sublimium scilicet, altissimarumque rerum scientia: quod tamen non nisi illi Metaphysicæ parti proprie convenit, quæ Deum, ejusque attributa, quantum patitur naturalis ratio, inquirit atque demonstrat.

## II.

Ceterum Metaphysicæ nomen antiquis Philosophis plane incognitum, ab Alexandro Aphrodiseo, & Joanne Philopono, Aristotelis interpretibus, primo usurpatum fuisse traditur. Hoc autem nomine illa Aristotelis opera inscripta fuere, quæ Logicis, Ethicis, atque Physicis a Tyrannione Grammatico, & Andronico quodam Rhodio primum in ordinem digestis, ad nullam certam classem visa sunt posse revocari. Istiusmodi itaque scripta minus cohærentia inter se, magisque abstrusa, metaphysica dixeruntur, quasi physicis adjicienda, sive post Physicam collocanda.

Phil. Ment. T. II.

A

Du-

## I V.

Dubium tamen est, num libri *metaphysici*, qui sub Aristotelis nomine circumferuntur, ad illum vere pertineant. Non desunt enim, qui suppositios eos esse putent, præsertim cum Laertius, qui Aristotelis opera longa serie recenset, nullam prorsus illorum mentionem faciat, fateaturque, complura esse, quæ ipsi adscribuntur *volumina*, atque *sententia*. Ut ut tamen res sit, id unum, quemadmodum egregie observat Cl. Gassendus, videtur circa dubitacionis aleam positum, exiguum admodum *Metaphysica* partem in hisce libris contineri: Ut enim, inquit, omnes libri physici dicati sunt explicande materiali substantiæ; ita profecto fuerunt dicandi quatuordecim, qui habentur, *Metaphysici tractanda immateriali*. An ne porro id factum est? Ecce, cum ejusmodi libri contineant CXLI. capita, sola quinque posteriora duodecimi libri aliquid habent hujuscem materiae. Quid igitur opus est recensere operis defectus; cum omnia prope deficiant, quæ ad tractationem de rebus divinis, atque *metaphysicas necessaria erant* (a)? Nihil ergo, tanti Viti judicio, minus accuratum est, quam Aristotelis *Metaphysica*. Recentiorum autem studio, quam perfecta hæc fuerit, aperte adeo illorum testantur opera, ut opus nequaquam sit, rem hanc longo sermone illustrare.

*Metaphysicae partitio.*

Duæ sunt *Metaphysicae* partes principes, *Ontologia*, & *Pneumatologia*. Illa de ente generatim sumto differit, ejusque affectiones per mentem abstractas expendit. Hæc vero spirituales substantias ita scrutatur, ut eorum naturam, existentiam, atque operationes, sola naturali ratione facem præbente, in aperto ponat, nobisque exhibeat. Quoniam autem duæ potissimum sunt substantiæ spirituales, quæ naturæ lumine cognosci a nobis possunt, Deus scilicet, & mens humana, ideo *Pneumatologia* in duas partes, nempe in *Psychologiam*, quæ agit de mente humana, & in *Theologiam naturalem*, quæ de Deo differit, satis apte dividitur. Itaque tres nobis erunt partes *Metaphysicae*, quarum prima *Ontologiam*, secunda *Psychologiam*, postrema *Theologiam naturalem* comprehendet.

(a) Lib. I. *adversus Aristoteles exercit.* V. n. 18.



# METAPHYSICES PARS PRIMA.

## ONTOLOGIA sive DE ENTE.



ONTOLOGIA, si nominis ratio habeatur, *entis doctrinam* significat. Versatur enim illa circa ens reale, in ejusque expendendis affectionibus per mentem abstractis, differentiisque perscrutandis tota, ut diximus, occupatur. Prima quoque Philosophia dicta est, sive quod ceteris Philosophiae partibus sublimior sit, sive quod principia, quibus ceterarum disciplinarum veritates innituntur, illa una exhibeat atque demonstret. Recte proinde Vir eruditissimus Joannes Baptista Vicus, illud apposite verum esse, inquit, quod Metaphysica (generalis, nempe Ontologia) sit omnis veris fons, & unde in alias scientias omnes derivatur (a). Hanc itaque eximiam facultatem trademus in praesens; verum ita, ut ea pene omnia missa a nobis fiant, quæ, utpote, doctissimorum Virorum calculo, magis subtilia, quam utilia, fuerunt in causa, ut Metaphysicam aspernati olim plerique sint, & nunc etiam non pauci averterentur. Speramus autem, ut verbis utar Viri doctissimi, tandem aliquando factum iri, ut nosfrates quoque juvenes resipiscant, & non modo amoenorum literarum, & eruditionis, sed etiam scientiarum amore flagrantes, summam videant ad omnia prorsus genera doctrinarum Ontologiarum, sive

A 2

Phi-

(a) Lib. I. de antiquissima Italorum sapientia cap. 4. §. 1.

Philosophiae primæ, atque universalis necessitatem; quemadmodum eam perviderunt fere innumeri Transalpini, & pauci quidam Itali sapientiores; eoque magis id nos futurum esse confidimus, quod certo novimus, plerosque nostra nationis, eorum librorum lectione magnopere delectari, qui toti spirant universalioris Metaphysicæ subtilitatem, illorumque etiam (quod maxime dolendum est) in quibus aut effusa impudentia & impietate, aut perfidia callidissima, aut ambigue quidem, & periculose admodum, de rebus maximi momenti disputatur: quos tamen libros certo certius, vel ipsa constat experientia, nequam ab iis intelligi satis posse, qui in Ontologia, seu Philosophia prima diu multumque via, & ratione versati non sint (a).

# DISSERTATIO I.

De notione entis realis, ejusque affectionibus.

**H**Æc dissertatio tres sectiones complectitur. In prima, traxita *entis* notione, breviter demonstratur, quomodo attributum *entis* rebus conveniat. In secunda proprietates *entis*, veritas scilicet, bonitas, atque unitas, explicantur. Pauca demum de rerum identitate, & distinctione in tertia exhibentur.

## SECTIO PRIMA.

*Exponitur notio entis realis, paucisque ostenditur, quomodo entis attributum rebus conveniat.*

### DEFINITIO I.

1. **N**omine *entis realis* intelligitur id, quod nullam in seipso contradictionem involvit. Sic homo est *ens reale*, quia nulla in eo est contradic̄tio.

### SCHOOLION.

2. Vocabulum *entis* non sumitur hoc loco, prout est partici-  
pium verbi *sum*, & ideo quatenus rem existentem significat; sed  
prout est nomen, quo ita res exprimitur, ut perinde omnino sit,  
sive ipsa existat, sive non existat.

Co-

(a) P. Nicolaus Concius Ord. Prædic. tium Oat. habita in Gymnasio Patavino Origines fundam., & cap. juris nat. & Gen. anno 1734.

## C O R O L L A R I U M I.

3. Concipitur itaque res sub praecisa ratione entis, quatenus attinetur tantum, prout est aliquid, in quo nulla habetur contradic̄tio.

## C O R O L L A R I U M II.

4. Si fieri nequeat, ut attingat mens, quod pugnantia continet; id omne est ens reale, quod mente concipitur.

## D E F I N I T I O II.

5. Dicuntur primo diversa, que sunt hujusmodi, ut nihil positivum habeatur, in quo illa convenient. Sic A, & B sunt primo diversa, si nihil positivum existat in A, quod etiam B sit commune.

## P R O P O S I T I O I.

Unumquodque per id est ens, per quod est id, quod est.

6. Probatur. Unumquodque per id est ens, per quod est aliquid, in quo nulla involvitur contradic̄tio (§. 1.). Unumquodque autem per id est aliquid, in quo nulla habetur contradic̄tio, per quod est id, quod est. Ergo unumquodque per id est ens, per quod est id, quod est.

## C O R O L L A R I U M I.

7. Cum rei cuiusque essentia sit id, per quod res ipsa est id, quod est, res qualibet per suam essentiam est ens. Sic homo per id est ens, per quod est homo. Etenim homo per id est aliquid, in quo nulla habetur terminorum pugna, per quod est homo. Igitur

## C O R O L L A R I U M II.

8. Attributum entis dicit in recto negationem intrinsecā contradictionis; totam vero rei essentiam in obliquo. Nimirum tota rei essentia venit nomine entis; verum sumta, & considerata, quatenus praecise nullam in seipsa contradictionem continet.

## S C H O L I O N.

9. Id adeo certum puto, ut nemo sit, qui contra sentire posse vi-  
Phil. Ment. T. II. A 3 dea-

deatur. Tota enim rei essentia est aliquod, in quo nulla involvitur contradic<sup>tio</sup>.

## C O R O L L A R I U M III.

10. Itaque plura convenire in ratione entis, nihil est aliud, quam in negatione intrinseca contradictionis ea simul omnia convenire.

## L E M M A.

*Potest eadem negatio esse communis pluribus, licet nihil reale positivum sit illis ex aequo commune.*

11. Probatur. Duobus entibus *A*, *B* licet ponantur primo diversa, ex aequo convenit non esse *x*; ac proinde datur negatio illis ex aequo communis. Nihil autem positivum illis per hypothesim commune est (§. 5.). Ergo plura convenire simul possunt in negatione, quin in positivo aliquo attributo ea simul convenient.

## S C H O L I O N.

12. Plura primo diversa convenire simul posse in negatione, Doctoris Subtilis aperta sententia est. Hæc enim habet: quantumcumque diversis, si nihil etiam commune habeant, potest esse negatio communis; sicut non Sortes est commune univocum ad omnia alia a Sorte entia, & non entia. Et licet illa, quibus negatio est communis, habeant aliquod positivum commune, non tamen oportet, quod per illud commune insit eius negatio communis. Non rationalitas enim convenit ultime differentia equi, & asini, & non per aliquod commune illis, quibus convenit ista negatio.... Negatio est unius rationis, quia opponitur affirmationi unius rationis, non quia consequitur affirmationem unius rationis (a).

## P R O P O S I T I O II.

*Convenire plura simul possunt in ratione entis, licet nihil reale positivum sit illis ex aequo commune.*

13. Probatur. Plura convenire in ratione entis, est ea convenire in negatione intrinseca contradictionis (§. 10.). Possunt autem plura convenire in negatione intrinseca contradictionis, quin in positivo aliquo attributo ea inter se convenient (§. 12.). Ergo convenire simul

(a) Super. l. Seneen. Distin. 23. q. unica aliud argumentum.

## Pars Prima.

7

mul possunt plura in ratione entis, quamvis in nullo positivo attributo ea simul convenienter.

### C O R O L L A R I U M I.

14. Possunt plura convenire in ratione entis, licet essentialiter sint primo diversa. Sunt enim primo diversa, quibus nihil reale positivum est ex æquo commune (§. 5.).

### C O R O L L A R I U M II.

15. Attributum entis non dicit realitatem positivam iis omnibus communem univoce, quæ in ratione entis convenire dicuntur. Non enim tunc iis, quæ sunt primo diversa, attributum entis posset esse ex æquo commune. Igitur

### C O R O L L A R I U M III.

16. Attributum entis non dicit realitatem quamdam potentialem, sive re ipsa determinabilem per modos, vel per differentias.

### S C H O L I O N.

17. Perspicuum id magis fiet, si differentiales hujuscemodi rationes in seipsis spectentur. Aliquid enim & ipsæ sunt, in quo nulla involvitur contradictione, & ideo sunt ens, perinde prorsus atque realitas illa potentialis, quam determinant; nisi forte placet nonne inīni, inter continere contradictionem, & non continere dari medium, quod utrumque extreum excludat.

### C O R O L L A R I U M IV.

18. Attributum entis maxime universale est. Rebus enim etiam primo diversis ex æquo convenit (§. 14.).

### C O R O L L A R I U M V.

19. Satis est cognoscere, rem positam esse in rerum natura, ut certi simus, eam esse ens. Nullam enim contradictionem continent res hoc ipso, quod existat. Hiac

## C O R O L L A R I U M VI.

20. Apparet, cur res omnes, quæ sensibus nostris occurruunt; eosque movent, entia realia dicantur, quamvis non solum earum essentia nos plane lateat, verum etiam licet ad earum proprietates ne leviter quidem attendamus; ac propterea etsi obscura maximeque confusa sit, quam habemus, rerum ipsarum cognitio. Quævis enim vel levissima sensuum motio satis est, ut certo sciamus, rem ipsam existere.

## P R O P O S I T I O III.

*Attributum entis est commune univocum Deo, & creaturis.*

21. Probatur. Sicuti namque Deo, & creaturis est ex æquo commune, esse id, quod sunt, ita ex æquo illis convenit, esse aliquod, in quo nulla involvitur contradic̄tio. In hoc autem tota *entis* notio posita est (§. 1.). Ergo &c.

Dices: Deus est aliquod omnino independens, & simpliciter infinitum; creatura vero est aliquod undique circumscrip̄tum, caducum penitus, atque a Deo dependens. Ergo Deus, & creatura nequeunt in notione *entis* univoce convenire.

R. neg. conseq. Ex eo enim, quod Deus sit *ens* simpliciter independens, & creatura sit *ens* simpliciter dependens, non sequitur, nisi Deum, & creaturam esse duas res *primo diversas*. Hoc autem non impedit, quominus in ratione *entis* convenire ex æquo possint (§. 14.); cum id non prohibeat, quominus queant in *negatione intrinseca contradictionis*, in qua tota ratio *entis* posita est (§. 1.), univoce convenire (§. 11.). Ergo &c.

Dices iterum, nullam potentialitatem in Deo haberi. Fore autem, ut aliqua in Deo sit potentialitas, si ratio *entis* esset Deo, & creaturis ex æquo communis. Ergo &c.

R. nego min. Ut enim satis constat ex dictis, *ens* nullam dicit in recto realitatem potentiale, sed meram tantummodo negationem (§. 8.), quæ non exigit, ut in iis, quibus est communis, detur aliquod *reale positivum*, in quo univoce illa convenient (§. 11.). Et sane, sicuti ex eo, quod Deo, & creaturis ex æquo competit non esse lapidem, haud sequitur, dari in Deo, & creaturis rationem aliquam positivam, propter quam hæc illis negatio competit; ita ex eo, quod Deus, & creatura in *negatione intrinseca contradictionis* convenient, inferri nequaquam licet, Deum & creaturas in positiva determinabili realitate hanc ob causam convenire.

SCHO-

## S C H O L I O N.

22. Attributum *entis* esse commune *univoce* Deo, & creaturis, constans Scotistarum sententia est. Contra vero *analogice* tantum de Deo, & creaturis attributum illud posse enuntiari plurimi ex Thomistis, quos q. 2. *Metaph.* recenset Camerarius, arbitrantur. Videantur Mastrius *Disput. II.* in *Metaph.* q. 2., & Suarez *Disput. II.* itidem in *Metaphysicam Sect. 2.* Hi enim subtiliter adeo rem hanc pertractant, ut ceteris profecto palmam præripuerint.

## S E C T I O S E C U N D A.

*De entis veritate, bonitate, & unitate.*

## D E F I N I T I O.

23. Proprietates *entis* dicuntur illa attributa, quæ rebus competunt, quatenus præcise sunt *ens*, aliquod scilicet, in quo nulla involvitur contradictione. Hinc, sicuti *ens*, ita etiam illius proprietates genera quæque transcendunt; unde proprietates rerum transenden-tales vulgo a Philosophis nuncupantur. Tres porro sunt proprietates *entis* præcipuae, nimisrum *veritas, bonitas, atque unitas.*

*Veritas entis.*

24. *Veritas entis*, quæ *entitativa*, & *metaphysica* etiam dicitur, ut a *veritate logica*, cognitionis scilicet, atque signi, discernatur, est attributum, quod enuntiatur de re, quatenus ipsa talis in se est, qualis esse debet, ut sit suo exemplari conformis. Sic illud metallum dicitur *verum aurum*, quod illi ideæ consentit, qua aurum exprimitur.

## C O R O L L A R I U M I.

25. *Omne ens est verum*. Sicut enim unumquodque est id, quod est, ita unumquodque est tale, quale esse debet, ut suo exemplari con-fentiat.

## C O R O L L A R I U M II.

26. *Unumquodque per id est verum, per quod est ens*. Unumquodque enim per id suo exemplari respondet, sive est *verum*, per quod est id, quod est. Unumquodque autem per id est *ens*, per quod est id, quod est

est (§. 6.). Ergo unumquodque per id est *verum*, per quod est *ens*.  
Igitur.

## C O R O L L A R I U M . III.

27. *Veritas metaphysica nihil est reale enti superadditum.* Profecto, si *veritas metaphysica* esset aliquod reale superadditum *enti*, & ipsa esset *vera*; cum illud reale, ut intelligibile, sit suo exemplari conforme.

## C O R O L L A R I U M . IV.

28. *Veritati transcendentali nulla opponitur falsitas, quæ cum ente componi possit.* Repugnat enim, ut res aliqua sit id, quod est, simulque sit a suo exemplari diversa. Itaque sicuti *ens verum* idem est, ac *ens*, ita *ens falsum* idem est, ac non *ens*, videlicet illud metallum non est *falsum aurum*, sed non *aurum*, quod auri ideae nequaquam respondet.

*Bonitas entis.*

29. *Bonum bonitate transcendentali dicitur illud, quod in suo genere est essentialiter perfectum.* Est autem perfectum essentialiter, quod est hujusmodi, ut nihil ipsi desit eorum, quæ in illo requiruntur, ut sit id, quod est, atque adeo ut eum usum præstet, ad quem a summo rerum Opifice est destinatum.

## C O R O L L A R I U M . I.

30. *Omne ens est bonum bonitate transcendentali, sive metaphysica.* Fieri quippe nequit, ut aliquid sit id, quod est, quin ea omnia contineat, quibus, incolumi illius essentia existente, privari haud potest.

## C O R O L L A R I U M . II.

31. *Quemadmodum veritas, ita bonitas nihil omnino est ab ente distinctum; sed ens quocunque, sicuti formaliter est id, quod est,* & ideo *verum*, ita seipso *formaliter est* in suo genere *essentialiter perfectum*; atque adeo *bonum*.

## C O R O L L A R I U M . III.

32. *Nullum est ens malum malitia, qua transcendentali bonitati ad-*  
*ver-*

## Pars Prima.

II

versetur. Nihil enim divelli potest ab essentia rei, quin res ipsa pereat. Ens itaque metaphysice non bonum idem est, ac non ens, sicuti de ente metaphysice falso paulo ante diximus,

### Unitas entis.

33. *Unitas transcendentalis* in negatione divisionis rei in se tota consistit: videlicet *ens* est metaphysice *unum*, quatenus est in se indivisum. Putant nonnulli, *ens* sub *unius* ratione percipi haud posse, nisi tum indivisum in se, tum divisum a quovis alio illud a nobis concipiatur. At frustra. Hoc enim ipso, quod *ens*, ut in se individuum, menti cogitanti occurrit, sub *unius* ratione percipitur.

### C O R O L L A R I U M.

34. *Unumquodque sua essentia est unum*, sicuti *sua essentia est ens*. Non enim potest aliquod esse id, quod est, nisi indivisa in illo sint omnia, ex quibus *essentialiter* consurgit.

### S C H O L I O N.

35. *Unitas transcendentalis* solet etiam *numerica* nuncupari. Ex pluribus enim, quorum quolibet indivisum est in se, *numerus coalescit*.

### Species unitatis.

#### I.

36. *Unitas duplex est simplicitatis, & compositionis*. Unum *unitate simplicitatis* dicitur illud, quod ita indivisum est in se, ut sit etiam indivisible. Quoniam autem dupliciter potest aliquod esse indivisible, nempe *absolute*, & *secundum quid*, ideo duplex est *unitas simplicitatis*, altera scilicet *simplicitatis absolutæ*, altera *simplicitatis secundum quid*.

#### I I.

37. *Indivisible absolute* vocatur illud, in quo nihil est, quod re, vel cogitatione divelli ab eo possit. Hoc modo Deus est indivisibilis. Nihil enim habetur in Deo, quo ipse possit aliqua ratione privari. *Unitas igitur Dei est unitas absolutæ simplicitatis*.

38. In-

## III.

38. *Indivisible vero secundum quid est illud, quod sua quidem in silentia dividi nequit, verum aliqua in ipso sunt, quibus carere potest, quin pereat.* Hoc modo indivisibilis est mens humana. Etsi enim ex pluribus a se mutuo separabilibus essentia mentis non constet, habitibus tamen, atque virtutibus, quibus ornata est, potest, quin destruatur, reipsa destitui. Non est ergo una unitatis simplicitatis, nisi secundum quid.

## IV.

39. *Unum unitate compositionis illud dicitur, quod re ipsa indivisum quidem est in se, at non indivisible.* Sic homo est unum ens unitate compositionis. Constat enim ex pluribus, simul quidem unitis, sed a se mutuo separabilibus. Duplex porro est hæc unitas altera scilicet per se, altera per accidens.

## V.

40. *Per se unum unitate compositionis dicitur illud, cuius essentiales partes ex lege naturæ, sapientissimoque Dei consilio, sunt ad illud constituendum ordinatae; ac proinde quod est hujusmodi, ut primo & per se, sive directe, sit ab operante natura intentum.* Contra vero *unum per accidens* nuncupatur, cuius principia eo ex intentione naturæ ordinata non sunt, ut illud constituant. Sic omnia composita, quæ *naturalia* dicuntur, ut homo, bellua, plantæ &c. sunt *unum per se*; & ex adverso *omnia*, quæ arte fiunt, sunt *unum per accidens*.

## SCHOOL.

41. Cavendum, ne *unum cum uno confundatur. Unicum enim est in aliquo genere, cui alterum simile in eodem genere nequam datur.* Sic *unicus* est filius, qui solus est. Itaque omne *unicum est unum*, sed non *vicissim*. Interdum tamen *unum pro uno* accipitur, ut *cum Deus dicitur unus*.

## SECTIO TERTIA.

## De distinctione, &amp; identitate.

42. **D**e distinctionibus tot tamque subtilia tradunt rigidiores Scholastici, ut, si fateri mihi liceat quod sentio, multitudinem obruant, suaque nimia subtilitate penitus evanescant. Hisce itaque missis, nonnisi quæ scitu necessaria sunt, hoc loco trademus.

## De distinctione.

## I.

43. *Distinctio generatim sumta idem est, quod alietas.* Ea nimirum distincta dicuntur, quorum unum non est aliud. Sic Petrus ex eo præcise, quod non sit Paulus, distinctus a Paulo nuncupatur.

## COROLLARIUM I.

44. *Quæ igitur distincta sunt inter se, seipſis sunt distincta.* Per id enim unum non est aliud, per quod est id, quod est.

## COROLLARIUM II.

45. *Unio non opponitur distinctioni.* Quæ namque unita simul sunt, adhuc ita se habent, ut unum non sit aliud. Sic anima non est corpus, licet corpori sit copulata. Imo tantum abest, ut *unio* adveretur distinctioni, quin potius distinctionem requirat. Non datur enim unio, nisi distincta a se mutuo sint, quæ unita dicuntur.

## COROLLARIUM III.

46. *Distinctio latius patet, quam diversitas.* Omnia enim, quæ sunt diversa, sunt etiam distincta, sed non vicissim. Essentia siquidem Petri non est diversa ab essentia Pauli, & tamen una, ut patet, ab altera distinguitur.

## II.

47. *Distinctio duplex est altera scilicet a parte rei, altera per intellectu-*

*intellectum.* Distinguuntur a parte rei, quæ ita se habent, ut, omni consideratione mentis seclusa, unum non sit aliud. Talis est distinctio animæ rationalis a corpore. Anima enim non est corpus, licet neque animam, neque corpus mens nostra consideret.

## III.

48. Distinguuntur vero per intellectum, quæ in una eademque revolutioni plura, etsi plura non sint, concipiuntur. Hujuscemodi est distinctio virtutis calefactiva in igne a vi ejusdem exsiccativa. Eadem enim est virtus, qua ignis calefacit corpora, eaque simul exsiccat, licet ob effectuum discrimen, perinde ac duplex concipiatur.

## IV.

49. Distinctio a parte rei duplex est, si nonnullos audiamus, *realis*, & *formalis*. Dicuntur realiter distincta, quæ sunt hujusmodi, ut vel unum possit re ipsa esse sine alio; vel unum sit realiter producens, & alterum realiter productum; vel demum ut in subjectis separatis, vel separabilibus ipsa existant. Sic anima rationalis realiter distinguitur a corpore, pater a filio, & lux Solis a lumine candelæ. Anima enim potest esse sine corpore, filius a patre producitur; luxque Solis, & lux candelæ in separatis subjectis, ut patet, existunt.

## V.

50. Cum ens, ut innuimus in Logica, dividatur in rem, & modum, distribui solet distinctio realis in realem realissimam, & in realem modalem. Prima est distinctio rei a re, ut distinctio Petri a Paulo, & animæ a corpore. Secunda est distinctio rei a modo, ut distinctio corporis a figura.

## VI.

51. Distinctio formalis ponitur inter illa ejusdem rei attributa, quæ sunt quidem in ipsa re, secluso omni opere intellectus, verum ejus sunt naturæ, ut neque ab ipsa re sejungi queant, neque a se mutuo separari, neque distincta actione produci; sed tantum diverso conceptu attingi, eorumque unum clare concipi, altero non percepto. Hoc modo distinguuntur in homine animalitas, & rationalitas. Sunt enim attributa realia, re ipsa distincta inter se; sat non ita, ut signum aliquod realis distinctionis inter illa habeatur. Hæc idcirco attributa non res, sed realitates, scilicet aliquid rei, simulque formalitates, rationes nempe conceptibiles, vocari solent.

SCHO-

## S C H O L I O N I.

52. Doctor Subtilis omnium primus hoc distinctionis genū excepit, atque in Scholas invexit. Verum an hæc distinctio locum habeat in rebus creatis, viderint, quibus plus otii est. Mihi enim sufficit, hoc genus distinctionis summis, ut ita dicam, labiis attigisse.

## V I I.

53. Quemadmodum distinctio a parte rei in realem, & formalem, ita distinctio rationis, sive per intellectum, in distinctionem rationis ratiocinatae, & in distinctionem rationis ratiocinantis dividitur. Distinctio rationis ratiocinatae, sive, ut ajunt Scholæ, cum fundamento in re, tunc habetur, cum mens in una eademque re plura concipit, tamquam distincta, propterea quod res ipsa ejus sit naturæ, ut pluribus æquivaleat, sive ut velut plura in se continere ipsa videatur. Talis est distinctio, quæ inter illuminativam, & calificativam Solis vim a nobis concipitur. Cum enim Sol corpora illuminet, iisque simul calorem tribuat, occasionem hinc sumit mens diversas in Sole virtutes concipiendi, licet una tantum re ipsa sit virtus, qua hi omnes effectus producuntur.

## V I I I.

54. Distinctio demum rationis ratiocinantis ea est, quæ tota ab ipsa mente in rebus singitur, quin ullum penitus fundamentum in illis habeatur; ut cum rationes subjecti, & predicati, veluti diversa attributa, in una eademque re distinguimus, videlicet cum Petrus in hac propositione: Petrus, est Petrus, ita a nobis consideratur, quasi per aliud rationem haberet subjecti; per aliud vero munus obiret predicati.

## De identitate.

## I.

55. Distinctioni opponitur identitas. Itaque sicuti dicuntur distincta, quorum unum non est aliud (§. 43.) ; ita ex adverso ea, quorum unum aliud est, simul identificata vocantur.

## Co-

## C O R O L L A R I U M.

56. *Identitas maxime differt ab unione.* Etenim cum identitate eponi nequit distinctio, cum quatenus unionem optime stare jam vidi mus.

## I I.

57. *Identitas duplex potissimum est, realis, & formalis.* Dicuntur idem realiter, quae formaliter distinguuntur. Idem vero formaliter nuncupantur, quae adeo sunt idem, ut unum informaliter alterius conceptu existat. Hoc modo idem sunt homini animalitas, & rationalitas; neque enim concipi potest homo, quin ut animal rationale concipiatur. At vero animalitas non nisi realiter idem cum rationalitate est, si detur, animalitatem, & rationalitatem inter se formaliter distingui.

## I I I.

58. Silēntio prætermittenda non est alia identitatis species, quae identitas rationis, sine conceptus, satis apte dicitur. Hæc non est, aliud, quam duorum convenientia in conceptu. Sic eadem dicuntur natura, quae est in Petro, & Paulo, ceterisque hominibus, quatenus nempe eodem conceptu singulorum essentia exprimitur. Duplex porro est hæc identitas. Una enim generica, specifica altera vocatur. Dicuntur idem specie, quae in tota essentia; idem vero genere, quae in generica tantum ratione convenientiunt. Ceterum, ut perspicuum erit consideranti, hoc identitatis genus non distinctioni, sed diversitati opponitur; unde similitudo potius, quam identitas, digna illa est, quae dicatur.

DIS.

# DISSERTATIO II.

De possibili, & impossibili; necessario, & contingenti; mutabili, & immutabili; rerumque essentia, & existentia.

**Q**uemadmodum omnē ens est verum, bonum, & unum, ita nullum est, quod non sit aliquo modo possibile, vel impossibile, mutabile, vel immutable, necessarium, vel contingens. De hisce ergo agemus in præsens; ubi etiam, quæ de rerum essentia & existentia tradi in Scholis solent, paucis complectemur.

## SECTIO PRIMA.

*De possibili, & impossibili.*

59. **P**ossible atque adeo etiam impossibile, duplex primo est, logicum, & metaphysicum.

### DEFINITIO I.

560. Logice possibile vocatur id, quod nullam penitus in seipso contradictionem involvit. Sic quoniam nulla in homine contradictione est, nullaque terminorum pugna, homo dicitur logice possibilis.

### COROLLARIUM I.

61. Logica ergo possibilitas nihil est aliud, nisi mera negatio intrinseca contradictionis.

### COROLLARIUM II.

62. Omne logice possibile est ens reale. Est enim ens reale, quod pugnantes terminos haudquam complectitur (§. 1.).

### COROLLARIUM III.

63. Perinde est ad logicam possibilitatem, sive sit, sive non sit in verum natura, quod logice possibile nuncupatur. Sive enim in rerum natura

Phil. Ment. T. II.

B

tura

tura habeatur homo , sive non habeatur , stat ex æquo ; nullam prorsus in illius notione contradictionem involvi.

## C O R O L L A R I U M . IV.

64. *Logica possiblitas est Deo , rebusque creatis ex aequo communis . Hisce quippe omnibus convenit ex aequo intrinsecæ contradictionis negatio . Profecto non minus homo , quam Deus , est aliquod , in quo nulla prorsus habetur contradic̄tio .*

## D E F I N I T I O . II.

65. *Metaphysice possibile dicitur id omne , quod re ipsa quidem in rerum natura non est , sed potest esse , quatenus ex eo posito nulla penitus sequitur contradic̄tio . Hoc modo possibilis est alter mundus . Non est enim re ipsa ; verum si esset , nulla vel minima hinc se queretur terminorum pugna .*

## C O R O L L A R I U M .

66. *Omne possibile metaphysice est etiam logice possibile ; sed non vicissim . Quod enim metaphysice possibile est , nullam contradictionem continet ; ac proinde est logice possibile (§. 60.) . Verum , cum ad metaphysicam possibilatem illud insuper requiratur , ut , quod dicitur sic possibile , non sit re ipsa in rerum natura , non omne logice possibile est metaphysice possibile (§. 65.) .*

## S C H O L I O N .

67. *Quoniam triplici modo potest contingere , ut in rerum natura ponatur , quod modo in ea non est , sed potest esse , utpote nullam in se ipso contradictionem continens , scilicet supernaturaliter , naturaliter , & moraliter , ideo metaphysice possibile dividitur satis apte in possibile supernaturaliter , possibile naturaliter , & in possibile moraliter .*

## D E F I N I T I O . III.

68. *Illud dicitur supernaturaliter possibile , quod sola Dei virtute esse potest , adeo nempe ut naturæ vires excedat prorsus , & plane supervet . Sic resuscitatio mortui supernaturaliter possibilis est , utpote quæ non nisi Divina virtute potest contingere .*

DE-

## DEFINITIO IV.

69. *Naturaliter*, sive *physice* *possibile* vocatur id, quod potest fieri, atque adeo esse re ipsa, viribus naturae. Hoc modo *possibilis* est *combustio stupræ*. Sufficiens quippe in igne adest vis, qua perficiatur.

## DEFINITIO V.

70. Illud vero *moraliter* *possibile* nuncupatur, quod sine magna difficultate potest fieri. Sic *moraliter* *possibile* est, ut in aliquibus circumstantiis bene agat, qui in iisdem solet recte operari.

## DEFINITIO VI.

71. *Logice impossible* dici illud solet, quod in se ipso contradictionem involvit. Sic est *logice impossible*, ut aliquod sit simul album, & non album.

## DEFINITIO VII.

72. Dicitur *metaphysice impossible*, quod poni in rerum natura non potest, quin sequatur contradictione. Hoc modo *impossibilis* est homo ratione carens. Simul quippe haberetur, & non haberetur homo.

## COROLLARIUM I.

73. *Impossible logicum* est etiam *metaphysice impossible*, & viceversa.

## COROLLARIUM II.

74. Quoniam nulla virtute potest fieri, ut habetur re ipsa quod contradictionem involvit, etiam *supernaturaliter impossible* est, quod est *logice impossible*.

## DEFINITIO VIII.

75. *Physice*, sive *naturaliter impossible* vocatur id omne, quod licet nullam in se ipso contradictionem contineat, atque adeo re ipsa esse possit, vires tamen naturae omnino superat. Talis est resuscitatio mortui.

## DEFINTIO IX.

76. Demum moraliter impossibile dicitur, quod non nisi maxima cum difficultate fieri a nobis potest; atque adeo quod nunquam, aut ferme nunquam efficitur. Hoc modo est impossibile, ut, qui festinus est pedibus, nunquam offendat.

## COROLLARIUM.

77. Quoniam impossibile tam physicum, quam morale est metaphysice possibile, manifestum efficitur, impossibile physicum, atque morale non esse impossibile, nisi respective, & secundum quid; contra vero absolute, & simpliciter, quod est metaphysice impossibile.

## PROPOSITIO I.

*Logica rerum possilitas rebus ipsis intrinseca est.*

78. Videlicet res quaelibet logice possibilis est talis ex ratione sua formalis, sive independenter a quovis extrinseco, cui comparetur, adeo nempe ut logica possilitas stare optime queat, et si, quemadmodum recte ait Doctor Subtilis, nulla potentia eam respiceret (a).

Probatur. Etenim, omni extrinseco non solum circumscripto, verum etiam repugnante, homo est homo: & ideo aliquid, in quo nulla prorsus involvitur contradictione. Ergo homo est ex sua ratione formalis logice possibilis.

Confirmatur. Nam logice impossibile est tale ex ipsa formalis ratione terminorum. Ergo etiam logice possibile est haud dissimili modo logice possibile.

Adde postremo, logicam possilitatem Deo, & creaturis ex aequo convenire. Neque enim aliquod apparet discrimen, si hujuscemodi possilitas pro mera negatione intrinsecæ contradictionis accipiatur. Nihil est autem a Deo distinctum, ex quo logica ipsius Dei possilitas derivari possit. Ergo nihil quoque est, ex quo hujuscemodi possilitas in creaturis possit desumi.

*Objecta diluuntur.*

Opponitur i. Deo non existente, creaturæ non essent possibles. Ergo tota earum possilitas a Deo est. Prob. ans: Deo non existente,

(a) I. Senten. Distin. 36. q. unica §. ad primum principale.

tē , creaturæ in rerum natura esse nequaquam possent. Ergo &c.

*R. disting. aīs:* Deo non existente , creaturæ non essent possibiles , hoc est , nunquam essent , concedo aīs . Non essent possibiles , hoc est , ex suis terminis repugnarent , nego aīs ; & *disting. aīs probatōnis:* Deo non existente , creaturæ non possent esse in rerum natura defectu sui , nego aīs ; defectu causæ producentis , concedo aīs ; & nego *conseq.* Verum itaque est , fore , ut ea in hypothesi creaturæ nunquam sint in rerum natura . At vero res est plane falsa , id ex ipsa creaturarum natura provenire . Nequeunt enim tunc esse , non quia contradictionem sua in essentia involvant ; sed quia , cum illæ sint hujusmodi , ut causa indigeant , a qua producantur , sicuti tunc nulla haberetur causa , ita nunquam reapse existerent ; unde ea illis tunc deesset possibilitas , quæ ab externa causa desumitur ; non autem illa , quæ ex intima earum natura derivatur .

*Opponitur 2.* Omnis perfectio creaturæ a Deo est . Sed *logica possibilitas* est perfectio . Ergo hæc itidem a Deo est ; ac proinde creaturæ quoad *logicam possibilitatem* a Deo dependent .

*R. disting. ma:* omnis perfectio creaturæ *positiva* a Deo est , concedo *ma:* ; omnis perfectio *negativa* , nego *ma:* & *disting. min.* *Logica possibilitas* est perfectio *positiva* , neg. *min.* ; est perfectio *negativa* , concedo *min.* , & nego *conseq.* Dependent igitur creaturæ a Deo quoad totum suum esse reale & positivum ; cum ex se sint purum nihil . Non dependent tamen a Deo quoad *logicam possibilitatem* ; quia hæc est pura negatio , statque adhuc , eas ex se esse nihil .

*Opponitur 3.* Si creaturæ essent ex se *logice possibles* , Deus quoad suam omnipotentiam dependeret a creaturis . Sequeretur enim , Deum ideo posse creaturas producere , quia illæ sunt *logice possibles* . Hoc autem absurdum est . Ergo &c.

*R. neg. consequotionem majoris.* Licet enim *logica possibilitas* sit rebus intrinseca , non propterea sequitur , creaturas ideo *a priori* posse a Deo produci , quia sunt *logice possibles* . Dicendum quippe adhuc est , ideo Deum posse creaturas producere , quia , cum sit *ens infinite perfectum* , efficere id omne potest , quod nullam in seipso contradictionem involvit . Considerandum , inquit Angelicus Doctor , quodcum unumquodque agens agat sibi simile , unicuique potentia activa correspondet possibile , ut *objectum proprium* , secundum rationem illius actus , in quo fundatur potentia activa ; sicut potentia calefactiva refertur , ut ad *proprium objectum* , ad esse calefactibile . *Esse autem Divinum* , super quod ratio divinae potentia fundatur , est esse infinitum , non limitatum ad aliquod genus entis , sed prahabens in se totius esse perfectionem . Un-

*Phil. Ment. T. II.*

B 3

de

de quidquid potest habere rationem entis, continetur sub possibilibus absolutis, respectu quorum Deus dicitur omnipotens. Nihil autem opponitur rationi entis, nisi non ens. Hoc igitur repugnat rationi possibilis absoluti, quod subditur divina omnipotentia, quod implicat in se esse, & non esse. Hoc autem omnipotentia non subditur, non propter defectum divinae potentiae, sed quia non potest habere rationem factibilis, neque possibilis. Quacumque igitur contradictionem non implicant, sub illis possibilibus continentur, respectu quorum dicitur Deus omnipotens. Ea vero, quae contradictionem implicant, sub divina omnipotentia non continentur, quia non possunt habere possibilium rationem. Unde convenientius dicitur, quod ea non possunt fieri, quam quod Deus non possit facere. Neque hoc est contra verbum Angeli dicentis: non erit impossibile apud Deum omne verbum; id enim, quod contradictionem implicat, verbum esse non potest; quia nullus intellectus potest illud concipere (a). Itaque non alia inter Dei potentiam, rerumque logicam possibilitatem dependentia est, nisi quae inter correlata habetur, seu quae necessario datur inter potentiam, & objectum. Hæc autem potius connexio est, quam dependentia. Omnis enim potentia aliquod objectum respicit, & vicissim omne objectum involvit ordinem ad potentiam. Et sane si logica rerum possilitas ex Divina potentia, tamquam ex causa, oriretur, omnipotentia Dei non nisi per circulum concipi a nobis posset, & explari. Dicere namque, Deum posse omnia possilia producere, perinde tunc esset, ac dicere, Deum producere posse, quidquid potest producere. Id autem quam absurdum sit, nemo, ut puto, est, quem lateat. Ergo possilitas rerum logica derivari ex divina potentia tamquam a causa haud debet; sed dicendum, absolutam eam penitus esse, sive independentem ab extrinseca causa, ipsisque rebus prorsus intrinsecam.

### PROPOSITIO II.

*Metaphysica possilitas in dupli negatione posita est, intrinseca nimirum contradictionis, & realis actualitatis.*

79. *Probatur.* Nam metaphysice possibile dicitur illud, quod re ipsa non est in rerum natura, sed potest esse, quatenus ex eo posito nulla sequitur contradictione, sive, quod perinde est, quatenus nullam in sua formali ratione contradictionem complectitur (§. 65.). Ergo duplex negatio metaphysicam rerum possibilitatem constituit, altera scilicet intrinseca contradictionis, altera realis actualitatis.

SCHO-

(a) P. L. q. 25. art. 3.

## S C H O L I O N.

80. Observandum tamen est, utramque hanc negationem non eodem modo ad metaphysicam possibilitatem pertinere. Negatio enim realis actualitatis ad eam pertinet primario, & directe; contra vero indirecte tantum, & presuppositive negatio interna contradictionis.

## C O R O L L A R I U M.

81. Metaphysice possibile, qua sic possibile, nihil est reale positivum. Nihil quippe reale positivum per duplicem negationem potest constitui.

## P R O P O S I T I O III.

*Supernaturalis, naturalis, & moralis possibilitas nihil addunt rebus supra metaphysicam earum possibilitatem, nisi meram denominationem extrinsecam desuntam a virtute causae producentis.*

82. Probatur. Enimvero rem esse supernaturaliter, naturaliter, vel moraliter possibilem, perinde omnino est, atque extare extrinsecam causam, quæ valeat rem ipsam hoc, vel illo modo producere. Ergo per meram denominationem extrinsecam desuntam a virtute causæ producentis res possibles metaphysice dicuntur supernaturaliter, naturaliter, vel moraliter possibles.

## S E C T I O S E C U N D A.

*De necessario, & contingentí, mutabili, & immutabili.*

## D E F I N I T I O I.

83. **N**ecessarium in genere dicitur id omne, cuius oppositum est impossibile. Necessarium idcirco, quemadmodum impossibile (§. 67.), triplex est, metaphysicum, physicum, & morale.

## D E F I N I T I O II.

84. Metaphysice necessarium vocatur illud, cuius oppositum repugnat. Sic metaphysice necessarium est, Deum esse omnino independentem, quippe Deum ab aliquo dependere, contradictionem involvit.

## DEFINITIO III.

85. *Physice necessarium est, cuius oppositum adversatur naturae legibus; nulla tamen ex eo posito sequitur contradic̄tio.* Hoc modo necessarium est Lunæ deliquium, si telluris globus Solem inter arque ipsam Lunam directe habeatur. Oppositum quippe non patitur naturae lex, et si ipsum fieri non repugnet.

## DEFINITIO IV.

86. *Moraliter necessarium censetur id omne, cuius oppositum neque contradictionem involvit, neque natura legibus contrarium est, verum aut nunquam, aut ferme nunquam contingit.* Hoc modo necessarium esse dicimus, ut qui amat periculum, in illud cadat, & pereat.

## DEFINITIO V.

87. *Absolute necessarium dicitur, quidquid tale est, ut, spectata ipsius essentia, illius contrarium esse non possit.* Sic est absolute, sive simpliciter necessarium, primam rerum causam nulli subjici. Id enim oritur ex ipsa natura primæ causæ.

## DEFINITIO VI.

88. *Contra vero illud dicitur necessarium tantum ex suppositione, cuius oppositum esse nequit, posita conditione.* Hoc modo necessaria est stupræ combustio. Ponenda est enim sufficiens appropinquatio ignis ad stupram, ut recte dici possit, necessarium esse, ut stupa ab igne comburatur.

## DEFINITIO VII.

89. *Contingens dicitur, quidquid est hujusmodi, ut illius oppositum esse possit.* Sic non est, nisi contingens, hominem esse doctum, cum fieri queat, ut nulla prorsus doctrina in homine habeatur. Quoniam porro necessarium, & contingens sibi mutuo adversantur, eademque est oppositorum ratio, uti necessarium, ita contingens triplex est, metaphysicum, physicum, atque morale.

DE-

## DEFINITIO VIII.

90. Dicitur metaphysice contingens, quod tale est, ut illius oppositum non repugnet. Sic est metaphysice contingens, ut stupra ab igne sibi proximo comburatur. Quæ enim sequitur terminorum pugna, si nulla tunc fiat combustio?

## COROLLARIUM I.

91. Necessarium tam physicum, quam morale est metaphysice contingens. Non repugnat quippe, ut contrarium illius accidat, quod tam physicæ (§. 85.), quam moraliter necessarium est (§. 86.). Hinc

## COROLLARIUM II.

92. Metaphysice necessarium dicitur necessarium simpliciter. Contra vero necessarium tum physicum, tum morale nonnisi secundum quid necessarium nuncupatur.

## DEFINITIO IX.

93. Physice contingens vocatur illud, cuius oppositum, salvis naturæ legibus, esse potest. Hoc modo est contingens matutina cœli serenitas, posita illius rubedine in fero. Etenim potest oppositum contingere, sicuti re ipsa interdum accidit, quin propterea aliqua vel minima labes legibus naturæ inferatur.

## COROLLARIUM.

94. Moraliter necessarium est physicæ contingens. Salvis enim legibus naturæ, potest fieri oppositum illius, quod moraliter necessarium est (§. 86.).

## DEFINITIO X.

95. Demum moraliter contingens dicitur illud, cuius oppositum fieri ex aquo potest, & solet.

DE-

## DEFINITIO XI.

96. *Immutabile* vocatur, quidquid aliter, ac est, esse nequit. Contra vero dicitur *mutable*, quidquid aliter, ac est, potest esse. Dividitur autem tam *immutabile*, quam *mutable*, perinde atque *necessarium*, & *contingens*, in *metaphysicum*, *physicum*, & *morale*.

## DEFINITIO XII.

97. *Metaphysice immutabile* vocatur id, quod aliter, ac est, non potest esse, quin aliqua hinc sequatur *contradiccio*. Contra vero *mutable metaphysice* id omne dicitur, quod aliter, ac re ipsa est, esse potest, quin *contradiccio aliqua* inde sequatur. Sic Deus *metaphysice immutabilis* est. At homo est *metaphysice mutabilis*. Aperte quippe repugnat, ut aliquid vel minimum novi Deo accidat. Contra vero nulla prorsus ex eo sequitur terminorum pugna, quod homo aliqua re privetur, quam continet, vel eam, quam non habet, obtineat.

## DEFINITIO XIII.

98. *Physice immutabile* censetur illud, quod, salvis naturae legibus, aliter, ac est, esse non potest. At contra dicitur *physice mutable*, quod potest esse aliter, ac est, quin propterea naturae leges vel minimum violentur. Sic corpus quocunque immutabiliter *immutabilitate physica* tactui resistit. Homo vero mutabiliter *physica mutabilitate* doctus est. Nequit enim tactui non resistere corpus, salvis legibus naturae. Contra vero potest homo doctrina privari, quin idcirco labes aliqua legibus naturae inferatur.

## DEFINITIO XIV.

99. *Immutabile moraliter* dicitur illud, quod non solet esse aliter, ac est. At e contrario *mutable moraliter* censetur id, quod aliter, ac ipsum est, esse solet. Sic vir sapiens moraliter *immutabilis* est. Ut enim habet Tullius: sapientis est proprium, nihil, quod pœnitere possit, facere, nihil invitum: splendide, constanter, graviter, honeste omnia: nihil ita expectare, quasi certo futurum: nihil, cum acciderit, admirari, ut inopinatum ac novum accidisse videatur: omnia ad suum arbitrium referre: suis stare judiciis (a).

Co-

(a) Lib. V. qq. Tuscul. cap. 28.

## C O R O L L A R I U M I.

100. *Immutabile physicum, atque morale est metaphysice mutabile:*  
Non enim repugnat, ut sit aliter, ac est re ipsa, quod tantum  
spectatis naturae legibus, aliter esse nequit, ac sit; quodque esse,  
aliter ac est, minime solet. Recte propterea

## C O R O L L A R I U M II.

101. *Dicitur simpliciter immutabile, quod metaphysice immutabile  
est: immutabile vero tantum secundum quid, quod non nisi physicè,  
vel moraliter est immutabile.*

## P R O P O S I T I O I.

*Metaphysice immutabile est metaphysice necessarium; & vicissim  
metaphysice necessarium est metaphysice immutabile.*

102. *Probatur.* Cum enim metaphysice immutabile sit hujusmodi, ut plane repugnet, ipsum esse aliter, ac est (§. 97.), tale est omne metaphysice immutabile, ut illius oppositum contradictionem involvat. Ergo metaphysice immutabile est metaphysice necessarium (§. 84.). Vicissim quoniam oppositum ejus, quod metaphysice necessarium est, omnino repugnat (§. 84.), hujuscemodi est omne metaphysice necessarium, ut sine contradictione aliter, ac est, ipsum esse non possit. Ergo omne metaphysice necessarium est metaphysice immutabile (§. 97.).

## P R O P O S I T I O II.

*Metaphysice mutabile est metaphysice contingens; & vicissim omne  
metaphysice contingens est metaphysice mutabile.*

103. *Probatur.* Non repugnat, ut metaphysice mutabile sit aliter, ac est (§. 97.); ac proinde, ut illius habeatur oppositum. Ergo est metaphysice contingens (§. 90.). Non repugnat quoque, ut illius oppositum habeatur, quod metaphysice contingens est (§. 90.). Ergo aliter, ac est, ipsum esse potest, quin ulla inde sequatur contradictione. Est igitur metaphysice mutabile (§. 97.).

Co-

## C O R O L L A R I U M .

104. Quoniam immutabile tam physicum, quam morale est metaphysice mutabile (§. 100.), omne immutabile physicum, atque morale est metaphysice contingens.

## P R O P O S I T I O III.

*Immutabile physice est physice necessarium; & vicissim physice necessarium est physice immutabile.*

105. *Probatur.* Quod enim physicē immutabile est, aliter, ac ipsum est, salvis naturae legibus, esse non potest (§. 98.). Haberi ergo nequit illius oppositum, quin leges naturae prorsus violentur. Igitur est physicē necessarium (§. 85.). Vicissim quoque, cum, salvis legibus naturae, haberi nequeat oppositum ejus, quod physicē necessarium est (§. 85.), id, salvis iisdem legibus, aliter, ac est, esse nequaquam potest. Ergo est physicē immutabile (§. 98.).

## P R O P O S I T I O IV.

*Mutabile physice est physice contingens; & vicissim physice contingens est physice mutabile.*

106. *Probatur.* Enimvero, cum physicē mutabile, salvis naturae legibus, possit esse aliter, ac est (§. 98.), haberi potest illius oppositum, quin legibus iisdem labes vel minima inferatur. Ergo physicē mutabile est physicē contingens (§. 93.). Similiter, quoniam oppositum illius, quod physicē contingens est, naturae legibus non est adversum (§. 93.), salvis iisdem legibus, aliter, ac est, ipsum esse potest. Igitur est physicē mutabile (§. 98.).

## P R O P O S I T I O V.

*Moraliter immutabile est moraliter necessarium; & vicissim necessarium moraliter est moraliter immutabile.*

107. *Probatur.* Quod moraliter immutabile est, aliter, ac est, esse non solet (§. 99.). Est igitur tale, ut illius oppositum aut nunquam, aut ferme nunquam contingat. Ergo est moraliter necessarium (§. 86.). Vicissim, cum oppositum ejus, quod moraliter necessarium est, nunquam, aut ferme nunquam accidat (§. 86.) moraliter

ter

rēr necessarium est hujuscemodi, ut aliter; ac est, esse néquaquam soleat. Igitur est moraliter immutable (§. 99.).

## PROPOSITIO VI.

*Mutabile moraliter est moraliter contingens; & vicissim moraliter contingens est moraliter mutabile.*

108. *Probatur.* Cum moraliter mutabile soleat esse aliter, ac est (§. 99.), illius oppositum potest ex æquo esse, & non esse. Ergo est moraliter contingens (§. 95.). Vicissim, quoniam ex æquo potest esse oppositum ejus, quod moraliter contingens est (§. 95.); tale est moraliter contingens, ut aliter, ac ipsum est, ex æquo esse queat. Ergo est moraliter mutabile (§. 99.).

## COROLLARIUM.

109. Patet igitur, immutabilitatem, & necessitatem in eadem linea, sicuti etiam mutabilitatem, & contingentiam, rectissime ad convergentiam dici, sive unam ex altera optime colligi posse.

## SECTIO TERTIA.

*De rerum essentia, & existentia.*

## DEFINITIO I.

110. **E**ssentia nomine intelligitur id, per quod res qualibet est id, quod est. Sic essentia hominis est id, per quod homo est homo; essentia lapidis est id, per quod lapis est lapis, atque ita de ceteris.

## COROLLARIUM I.

111. Quoniam nihil est in re prius eo, per quod res ipsa est id, quod est, nihil est in re prius essentia. Hinc

## COROLLARIUM II.

112. Rei essentia definiri optime potest: eorum omnium primum, que in ipsa re sunt conceptibilia.

SCHO-

## S C H O L I O N.

113. *Rei essentia, & natura idem re ipsa significant, non eodem tamen modo consideratum.* Illud enim, per quod res est id, quod est, dicitur *essentia*, si in ipsa re absolute spectetur; dicitur vero *natura*, si illud ipsum sumatur, quatenus earum omnium operationum principium est atque origo, quæ ipsius rei sunt propriæ. Sic homo per *essentiam* est *animal rationale*; per *naturam* vero *consequentia* cernit, *principia & causas rerum* videt, earumque *progressus*, & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, & *rebus presentibus* adjungit atque annexit futuras, facile totius vite cursum videt, ad eumque regendum preparat res necessarias (a).

## DEFINITIO II.

114. *Attributa rei essentialia dicuntur illa, quæ ita ipsi rei convenient, ut illius *essentialiam intrinsecus* constituant.* Ea vero non *essentialia* nuncupantur, quæ ad rem ipsam *hoc modo* non attinent. Sic *animalitas* est attributum hominis *essentialie*; minime vero *sciendi cupiditas*. Illa enim, *hoc vero nequaquam*, ex numero eorum attributorum est, per quæ homo est homo.

## COROLLARIUM I.

115. *Cum nihil sit in re prius *essentia** (§. 111.), *nullum quoque in ea attributum est iis prius, quæ *essentialia* dicuntur.* Hinc

## COROLLARIUM II.

116. *Ostendi a priori nequaquam potest, cur rebus insint attributa essentialia.* Sic nulla est ratio *a priori*, cur homo sit *animal rationale*, quemadmodum nulla *a priori* ratio est, cur homo sit homo. Quærenti idcirco, quare *a priori* homo sit *animal*, respondetur optime, si dicatur: *quia homo est homo*, & universaliter *quia hoc est hoc*. Quamobrem

## COROLLARIUM III.

117. *Nullum eorum attributorum, quæ a priori de re possunt ostendi, est rei *essentialie*.* Hoc enim ipso non est aliquid primum in re, quemad-

(a) Tullius lib. I. de Officiis cap. 4.

admodum requiritur, ut ad illius *essentiam* jure pertaineat, atque adeo ut *essentialia* recte dicatur. Patet itaque, *essentialia* rei attributa quomodo ab iis, quae *essentialia* non sunt, discerni queant.

## DEFINITIO III.

118. *Rem existere* est eam extra nihil reperiri. Existere nimis rur dicuntur, quæcumque in rerum natura posita sunt. Contra vero non existere, quæ nihil sunt re ipsa.

## S C H O L I O N.

119. Quod existit, dicitur in Scholis *ens actu*, sive *actuale*. Quod vero non existit re ipsa, sed tamen potest existere, quatenus ab aliquo potest produci, *ens in potentia*, seu *potentiale*, nuncupatur.

## C O R O L L A R I U M I.

120. *Ens potentiale* ab ente metaphysice possibili nullatenus differt.  
(§. 65.)

## C O R O L L A R I U M II.

121. Cum idem sit *ens*, quod transit a *potentia* ad *actum*, seu quod ex *potentiali* fit *existens*, *potentialitas*, & *actualitas*, sive *metaphysica possibilitas*, & *existentia*, spectari debent, veluti status entis oppositi.

## DEFINITIO IV.

122. *Existere per essentiam* dicitur *ens*, quod ita existit, ut ipsa sua *essentia* sit *ratio*, cur *existat*, seu quod ideo existit, quia est *id*, quod est. Sic Deus dicitur existere per suam *essentiam*; quia ratio, cur *existat*, in ipsius *essentia* comprehenditur.

## DEFINITIO V.

123. Contra vero non existit per suam *essentiam*, cuius *ratio* extendi in ipsius *essentia* minime comprehenditur. Sic per suam *essentiam* non existit homo. Quandoquidem non ideo existit, quia est homo.

## DEFINITIO VI.

124. *Existens a se* vocatur illud, cuius ratio existendi in ipso est. Illud vero *existens ab alio* nuncupatur, cuius ratio existendi continetur in alio ab illo prorsus distincto. Hoc posteriori modo existit ens quodlibet creatum; quia in Deo est ratio, cur existat. Modo vero priori existit Deus; quia ratio, cur Deus existat, in ipso est.

## COROLLARIUM I.

125. Existit a se, quidquid existit per suam essentiam. Contra vero existit ab alio, quidquid per suam essentiam non existit. Illud enim rationem in seipso continet, cur existat (§. 122.). Hoc vero nequaquam (§. 123.).

## S C H O L I O N.

126. Quod a se existit, dicitur absolute *ens a se*. Quod vero ab alio habet, ut existat, *ens ab alio* nuncupatur.

## COROLLARIUM II.

127. Omne *ens* vel est *a se*, vel est *ab alio*. Inter hujuscemodi quippe existendi modos non datur medium (§. 108. Logicæ).

## AXIOMA I.

*Metaphysice impossibile est, idem simul esse, & non esse.*

128. Simul quippe esse, & non esse apertam contradictionem involvit.

## S C H O L I O N.

129. An hoc principium, quod contradictionis satis apte vocatur, sit omnium primum, videant, quibus plus otii est. Id unum monuisse mihi in præsens sufficit, illud Cartesii: *cogito, ergo sum*, ex hoc aperte colligi, recteque deduci. Eset namque, & simul non esset, si non esset, qui cogitat; cum, quod nihil est re ipsa, neque agere quidquam possit, nec quidquam pati. Hinc S. Augustinus, Evodium alloquens, prius, inquit, *abs te quero, ut de manifestissimis capiamus exordium, utrum tu ipse sis? an tu fortasse metuis, ne in hac interrogatione fallaris?* cum utique, si non essem, falli omnino non possem (a).

AXIO-

(a) Lib. II. de libero arbitrio nom. 7. alias cap. 3.

## A X I O M A II.

*Nihil est re ipsa sine ratione sufficienti, cur potius sit, quam non sit.*

130. Repugnat quippe, ut quod ex aequo potest esse, & non esse, sit re ipsa, adeoque determinetur ad esse potius, quam ad non esse, quin habeatur aliquid, per quod determinetur.

## C O R O L L A R I U M .

131. *Nihil ergo a nobis ponendum est, esse, nisi habeatur ratio, cur ponatur, potius quam non ponatur, videlicet nisi id nobis adsit, ex quo, cur illud potius sit, quam non sit, sufficienter intelligatur.* Etenim si secus, omnino gratis, atque adeo perperam, illud a nobis ponitur.

## S C H O L I O N .

132. Hoc principium, quod rationis sufficientis appellat Volfius (a), novum non est in Scholis, ut nonnemini fortasse videbitur. Philosophis quippe omnibus solemne semper fuit, nihil gratis, sive sine causa, hoc est, sine ratione sufficienti, a nobis esse ponendum. Fateor equidem, latius patere notionem rationis, quam causa. Verum, cum nihil jure prohibeat, quominus causa nomine intelligatur id omne, ex quo aliud aliquo modo colligitur, perinde puto, sive nihil sine ratione sufficienti, sive nihil sine causa admittendum a nobis esse, dicitur.

## A X I O M A III.

*Posita ratione sufficienti, illud ponendum necessario est, quod propter eam dicitur potius esse, quam non esse.*

133. Etenim, posita ratione determinante, ponendum est id, quod per eam determinatur; datoque antecedente, necessario admitti debet, quod ex illo colligitur.

## P R O P O S I T I O I .

*Rerum essentia metaphysice necessaria est.*

134. *Probatur.* Repugnat, ut aliquod non sit id, quod est; simul Phil. Ment. T. II. C enim

(a) P. I. Ontol. §. 71.

enim esset, & non esset, ut patet. Unumquodque autem per suam essentiam est id, quod est (§. 110.). Ergo necessaria adeo est rei cuiusque essentia, ut illius oppositum repugnet. Illud autem est *metaphysice necessarium*, cuius oppositum pugnantia continet (§. 84.). Ergo rei cuiusvis essentia *metaphysice necessaria* est.

### C O R O L L A R I U M I.

135. *Rerum essentia est metaphysice immutabilis.* Repugnat quippe, ut aliter se habeat, ac est re ipsa, quod *metaphysice necessarium* est (§. 84.). Hinc

### C O R O L L A R I U M II.

136. Perspicuum efficitur, *cur propositiones, in quibus essentialis definitio de re enunciatur, æternæ veritatis dicantur.* Fallere quippe nunquam possunt propositiones, quarum objectum est *metaphysice immutabile.*

### P R O P O S I T I O II.

*Necessario insunt rebus, quæ ita illis insunt, ut ratio, cur insint, sit ipsa earum essentia.*

137. *Probatur.* Cum enim posita ratione sufficienti, id necessario admitti debeat, quod propter eam potius est, quam non est (§. 133.), ponи non potest essentia, quin ea itidem omnia ponantur, quorum ratio sufficiens earum essentia est. Ergo ea necessario insunt rebus, quæ ita illis insunt, ut ratio, cur insint, sit ipsa earum essentia.

### P R O P O S I T I O III.

*Logica rei possibilitas non est ratio sufficiens, cur res ipsa existat.*

138. *Probatur.* Enimvero, si logica rei possibilitas satis esset, ut res ipsa existeret, id omne existeret re ipsa, quod est logice possibile (§. 133.). Hoc autem aperte falsum est: cum plura sint logice possibilia, quæ re ipsa non existunt, ea scilicet omnia, quæ metaphysice possibilia dicuntur (§. 65.). Ergo logica rei possibilitas non est ratio sufficiens, cur res ipsa existat.

Co-

## C O R O L L A R I U M .

139. *Satis nequaquam est, ostendere, nullam in re contradictionem involvi, nullamque ex ea posita sequi terminorum pugnam, ut illam reipsa existere, rectissime colligatur.*

## P R O P O S I T I O IV.

*Unumquodque necessario est, quando est.*

140. *Probatur.* Eſſet quippe, ſimulque non eſſet, ſi, quod eſt, eodem ſimul instanti poſſet non eſſe. Hoc autem aperte repugnat (§. 128.). Ergo unumquodque necessario eſt, quando eſt.

## P R O P O S I T I O V.

*Fieri nullatenus poteſt, ut non fuerit, quod olim fuit.*

141. *Probatur.* Fuiſſet quippe ſimul, & non fuiſſet, ſi poſſet fieri, ut minime fuerit, quod olim fuit. *Præterita non fuiffe*, inquit Angelicus Doctor, contradictionem implicat. *Sicuti enim contradictionem implicat, dicere, quod Socrates ſedet, & non ſedet, ita, quod ſederit, & non ſederit.* Dicere autem, quod ſederit, eſt dicere, quod ſit præteritum; dicere autem, quod non ſederit, eſt dicere, quod non fuerit. Unde *præterita non fuiffe*, non ſubjacet divina potentia. Et hoc eſt, quod Augustinus dicit contra Faſtum (\*): *quiſquis ita dicit, ſi Deus omnipotens eſt, faciat, ut, quæ facta ſunt, facta non fuerint, non videt, hoc ſe dicere: ſi Deus omnipotens eſt, faciat, ut ea, quæ vera ſunt, hoc ipſo, quod vera ſunt, falſa ſint.* Et Philosophus dicit VI. Ethicorum, *quod hoc ſolo privatur Deus, ingenita facere, quæ facta ſunt* (a).

## P R O P O S I T I O VI.

*Necessario exiſtit, quod per ſuam eſſentiam exiſtit.*

142. *Probatur.* Quod enim per ſuam eſſentiam exiſtit, ita exiſtit, ut rationem, cur exiſtat, ipsa ſua eſſentia contineat (§. 122.). Conſtat autem, necessario in eſſe rei, quod ita illi in eſſe, ut ratio, cur in eſſit, ſit ipsa ſua eſſentia (§. 137.). Ergo exiſtentia necessario ipsi

C 2.

rei.

(a) Lib. XXVI. cap. 5..

(b) P. I. q. 25. art. 4.

rei convenit; atque adeo existit necessario, quod per suam essentiam existit.

### COROLLARIUM.

143. Quoniam, quod existit per suam essentiam, a se existit (*§. 125.*), existit necessario, quod a se existit.

### PROPOSITIO II.

*Existit contingenter, quod per suam essentiam non existit.*

144. Probatur. Enimvero, quod non existit per suam essentiam, potest non existere, quia definat esse id, quod est; ac proinde quin illa hinc sequatur contradic<sup>tio</sup>. Igitur ita existit, ut oppositum non repugnet; atque adeo nonnisi contingenter existit.

### COROLLARIUM I.

145. Cum ab alio habeat, ut existat, quod per suam essentiam non existit (*§. 123.*), omne, quod est ab alio, contingenter existit.

### COROLLARIUM II.

146. Omne ens vel necessario, vel contingenter existit. Omne siquidem ens vel existit, quia est id, quod est, & ideo necessario (*§. 143.*); vel ita existit, ut ratio existendi non sit ipsa sua essentia; ac proinde nonnisi contingenter existit (*§. 145.*). Hinc

### COROLLARIUM IV.

147. Omne ens vel est necessarium, vel contingens. Etenim omne ens vel necessario, vel contingenter existit.

### PROPOSITIO VIII.

*Quod existit contingenter, ab alio habet, ut existat.*

148. Probatur. Etenim, quod contingenter existit, rationem in se ipso nequaquam continet, cur existat; quippe, si fecus, necessario existeret (*§. 143.*). Ergo ratio, cur hujuscemodi ens existat, continetur in alio ab eo prorsus distincto. Neque enim sine ratione sufficienti potest aliquid potius existere, quam non existere (*§. 130.*).

Ab

Ab alio autem existit, cuius existendi ratio in alio est (§. 124.)  
Ergo quod existit contingenter, ab alio habet, ut existat.

## C O R O L L A R I U M .

149. *Omne igitur ens contingens est ens ab alio.*

## P R O P O S I T I O I X .

*Ens contingens non existit per entitatem, sive formam realem  
reipsa distinctam ab illius essentia, in eaque  
tamquam in subjecto receptam.*

150. Solemne Thomistis est, *existentiam entis contingentis esse realem quandam entitatem ab illius essentia realiter distinctam, & in ea receptam, perinde atque forma in subjecto;* adeo nimirum ut quemadmodum per figuram, quæ est aliud a ligno, lignum est figuratum, ita per *existentiam*, quæ sit aliud ab *essentia* entis contingentis, *ens ipsum formaliter existat.* Contra hoc ergo contendō, nihil reale superaddendum esse *essentia* creaturæ, ut ipsa creatura ponatur extra nihil sui, sive ut in rerum natura existat.

Probatur itaque. Etenim illa *entitas*, sive *forma*, quam Petri *existentiam* vocant Thomistæ, non minus nihil est *reipsa*, quando Petrus non existit, ac tunc sit purum nihil ipsa Petri *essentia*. Vel ergo illa *entitas existentialis*, ut ita dicam, indiget alia *forma* a se distincta, ut, cum Petrus producitur, extra nihil & ipsa ponatur; vel non indiget. Si indiget: quæro de alia *forma*, per quid *formaliter* definat esse *metaphysice possibilis*, & fiat actu, atque ita deinceps in infinitum. Si non indiget, sed seipsa *formaliter transit a statu metaphysicae possibilitatis ad statum actualitatis*: ergo etiam ipsa Petri *essentia* independenter a *forma* distincta optime potest extra sui nihil constitui; etenim, quibus ex æquo convenit *metaphysica possibilitas*, eodem modo *existentiam* obtinent, in rerumque natura collocantur. *Existentia* itaque creaturarum non est *entitas*, sive *forma realis* distincta *reipsa* ab earum *essentia*, eique, tamquam *subjecto*, superaddita.

*Solvuntur objecta.*

Opponitur 1. Quod solius Dei proprium est, nulli creaturæ potest competere. Proprium est autem solius Dei existere per suam *existentiam*; cum ipse solus sit suum esse, suumque existere. Er-

*Phil. Ment. T. II.*

C 3

go

go in creaturis *existentia* est aliud *re ipsa* ab *earum essentia*:

*R. disting. min.* solius Dei proprium est existere per suam *essentiam*, hoc est, independenter a *causa* producente, *concedo min.*, hoc est, independenter a *forma distincta*, *nego min.*, & *conseq.* Deus itaque solus dicitur existere per suam *essentiam*, non quia ipsi soli competit existere independenter a *forma distincta*, sed quia solus Deus ita existit, ut ratio, cur existat, sit ipsa sua *essentia*, nimirum quia est id, quod est.

*Opponitur 2.* Nulla res potest intelligi sub *opposito ejus*, cui illa est idem. Sed *essentia* creaturæ potest intelligi sub *non existentia*. Ergo *essentia* creaturæ non est idem cum illius *existentia*; ac proinde &c.

*R. disting. ma:* nulla res potest intelligi sub *opposito ejus*, cui illa est idem, hoc est, sub *opposito ejus*, quod in *essentiali* illius *notione* continetur, *concedo ma.* Sub *opposito ejus*, quod in *essentiali* illius *notione* non continetur: *nego ma:*, & *concessa minori*, *distinguo cons* *essentia* creaturæ non est idem cum *existentia*, hoc est, *existentia* non continetur in *essentiali* *notione* creaturæ, *concedo conseq.*, hoc est, *existentia* creaturæ est *forma realiter distincta* ab illius *essentia*, *nego conseq.* Verum est, *creaturam non esse ens* *hujusmodi*, ut *concipi essentialiter* haud possit, quin concipiatur *existens*. At non propterea sequitur, *creaturam poni extra nihil* *sui per formam distinctam*. *Profecto & ipsa forma existentialis* intelligi *essentialiter* potest, optimeque concipi, ut *metaphysice possibilis*, neque tamen dabunt Thomistæ, eam per superadditam sibi *realem entitatem extra sui nihil constitui*. Potest igitur *essentialiter* concipi *creatura*, quin concipiatur *existens*, non quia fiat *existens* per *formam distinctam*, sed quia in illius *essentia* sufficiens non continetur *ratio*, cur potius sit, quam non sit *re ipsa*; quo sit propterea, ut *extrinseca* indigeat *causa*, a qua producatur.

*Opponitur 3.* *creatura est indifferens ad existendum*, & *non existendum*. Ergo requiritur *forma*, per quam ad *existendum* determinetur, atque adeo ut *re ipsa* existat.

*R. disting. ahs:* *creatura est indifferens ad existendum*, & *non existendum*, *indifferentia causæ*, *concedo ahs*, *indifferentia subjecti*, *nego ahs*, & *conseq.* *Indifferentia* *creaturæ ad existendum*, & *non existendum* non est *indifferentia subjectiva*, nempe talis, qualis est *indifferentia ligni* ad quamlibet *figuram*; ac proinde *hujusmodi*, ut per *formam tollatur*; sed est *indifferentia pure objectiva*, scilicet *causæ* *producentis*. *Indifferens* *nimirum* dicitur *creatura ad existendum*,

dum, & non existendum, quatenus præcise determinare nequit extrinsecum agens, ut ab illo producatur.

*Opponitur 4.* Nihil transire potest de contradictorio in contradictorium sine *forma reali*. Sed existere, & non existere contradictorie opponuntur. Ergo creatura de *non existente* fieri nequit *existens* sine *forma reali*. Fit autem *existens* per *existentiam*. Ergo *existentia est forma realis*.

*R. disting. ma.* nihil transire potest *subjective* de contradictorio in contradictorium sine *forma reali*, *concedo ma.* Nihil transire potest *objective* sine *forma reali*, *nego ma.*, & *permissa minori*, *nego conseq.* Verum est, nihil *subjective* transire posse de contradictorio in contradictorium sine *forma reali*; cum hujuscemodi transitus sit mutatio realis, omnisque realis mutatio in eo sit posita, ut *subjectum*, quod dicitur mutari, transeat a *privatione ad formam*, vel a *forma ad privationem*. At res secus se habet, loquendo de transitu rei de non esse ad esse in rerum natura. Cum enim hujusmodi transitus non sit vere & proprie mutatio (nihil quippe tunc habetur, de quo jure dici queat, ipsum aliter se habere nunc, quam prius) nulla *reali forma* est opus, per quam ipse transitus perficiatur. Et sane, id ipsum, velint nolint, fateri debent etiam Thomistæ. Etenim & ipsa eorum *existentialis forma* transit a non esse ad esse, dum id producitur, quod per illam existere dicitur, neque tamen hujuscemodi transitus fit per aliam *formam* distinctam. Stat quoque, *formam ipsam existentialem* indifferentem esse, ut sit, vel non sit re ipsa in rerum natura, quin sit necesse, ut per aliam distinctam *formam* hæc indifferentia tollatur. Vides ergo, nihil objici nobis posse, quod ipsos itidem adversarios ex æquo non urgeat.

### PROPOSITIO X.

*Existentia entis contingentis non est aliquid formaliter ex natura rei distinctum ab illius essentia.*

*131.* Hæc propositio est contra quamplures Scotistas, contendentes, inter *essentiam* entis contingentis, ejusque *existentiam* haberi distinctionem illam, quam *formalem ex natura rei* appellant, quamque superiori loco paucis indicavimus.

Prætermisso itaque, opinionem hanc parum consonam esse menti ipsiusmet Doctoris Subtilis; quippe qui in III. *Sententiarum Distin.* VI. q. 1. expresse docet, *certum esse*, *rei essentiam tantum in modo concipiendi ab existentia differre*, ostenditur propositio eadem penitus

ratione, qua, existentiam realiter non distingui ab essentia, contra Thomistas modo demonstravimus. Res enim est perspicua, formalitatem existentiae Petri nihil esse reipsa, cum Petrus non existit; eam vero actu esse in rerum natura, cum Petrus existit. Vel igitur actualitas illius formalitatis existentialis est aliquid formaliter ex natura rei distinctum ab ipsa formalitate, vel non. Si primum: quæro eodem modo de hac formalitate actualitatis, per quid formaliter ponatur extra nihil sui, atque ita deinceps in infinitum. Si alterum: ergo, quemadmodum formalitas illa existentialis, ita ipsa rei essentia seipsa formaliter in rerum natura existit. Nullum quippe hac super re mihi appetet discrimen.

### Objecta diluuntar.

*Arguunt 1.* Potest concipi rei essentia, quin concipiatur existens. Ergo existentia est formalitas distincta ex natura rei ab essentia. Ea enim formaliter ex natura rei distinguuntur inter se, quorum unum concipi potest, altero non concepto.

R<sup>1</sup>. argumentum nimis probare. Etenim & ipsa formalitas existentialis intelligi optime potest, quin intelligatur actu posita extra nihil sui. Ergo & ipsa ponitur extra nihil sui per formalitatem distinctam.

R<sup>2</sup>. disting. a<sup>n</sup>s: potest concipi rei essentia, quin concipiatur existens, & tunc concipitur, ut aliquid reipsa, nego a<sup>n</sup>s; & tunc concipitur, ut nihil reipsa, concedo a<sup>n</sup>s, & nego conseq. Ut enim duo sint formaliter ex natura rei distincta, debent esse hujusmodi, ut ambo sint in rerum natura, quin unum sit aliud; atque adeo ut unum possit concipi, altero non concepto, quin desinant esse reipsa ex eo formaliter, quod sic concipientur. Repugnat autem, ut concipiatur essentia, non concepta existentia, & in tali conceptu nobis reluceat essentia, ut actu posita extra nihil sui. Ergo &c. Patet porro ex dictis superiori loco, cur possit essentialiter concipi creatura, quin concipiatur existens.

*Arguunt 2.* De essentia, & existentia contingit, vera esse prædicata contradictoria. Essentia enim est quidditas rei, minime vero existentia. Ergo &c.

R<sup>1</sup>., argumentum posse in suos auctores retorqueri. Nam & ipsa formalitas existentialis habet suam quidditatem; concipitur enim, & definitur a suis patronis; cumque etiam ipsius quidditas modo sit, modo non sit reipsa, contingit, de ea quoque consti-tui posse prædicata contradictoria.

R<sup>2</sup>.

*R. 2 neg. atq; ad cuius probationem dico, existentiam esse ipsam rei quidditatem posita reipsa in rerum natura. Contendo proinde, haud recte dici, existentiam esse id, quo essentia existit. Non enim existentia dici potest id, quo, nisi prius ostendatur, existentiam esse aliud reipsa ab essentia. Quod si aliquis a me querat, quid sit existentia? respondeo paucis: existentiam esse rem positam extra nihil sui.*

## DISSERTATIO III.

De substantia, & accidente, deque ente absoluto,  
& relativo, simplici, & composito.

**G**eneralem entis divisionem tradidimus in Logica, ejusque singula membra breviter explicavimus. Nunc fuse de iisdem agendum est. Primo itaque pleniorum tum substantia, tum accidentis notionem trademus. Secundo naturam entis tam absoluti, quam relativi investigabimus. Postremo de ente simplici, & composito differe-  
mus.

### SECTIO PRIMA.

*De substantia, & accidente.*

#### DEFINITIO I.

152. **N**ominē subjecti intelligitur id, quod ita recipit aliud a se distinctum, ut ab eo determinetur, & perficiatur. Sic organicum corpus dicitur subjectum animae, lignumque figurae. Recipitur quippe anima in corpore, & figura in ligno, ipsumque corpus ab anima, & lignum a figura determinatur, certo modo perficitur.

#### COROLLARIUM.

153. Dicitur ergo esse in subjecto, quidquid ea ratione in alio est, ut ipsum determinet, atque unum aliquid cum illo constituat.

#### SCHOOL.

154. Dupli modo potest aliquod esse in subjecto. Primo, ut ipsa sua natura exigat in subjecto fieri, in eoque recipi, adeo nempe ut

ut vel prorsus repugnet, illud sine subjecto fieri, rēque ipsa existere, quin sit in subjecto; vel saltē naturae vires plane excedat, quod aut fiat sine subjecto, aut sine subjecto in rerum natura reperiatur. Secundo modo, ut a subjecto, quod perficit, essentialiter non dependeat. Hoc modo anima rationalis est in corpore, ut in subjecto. Non enim a corpore adeo dependet, ut ipsa sua natura, sine corpore esse non possit. Priori autem modo est in ligno color, sicuti etiam figura, aliæque ejusdem affectiones. Adeo quippe exigunt esse in ligno, ut naturae vires omnino supereret, eas sine ligno reipsa existere.

## DEFINITIO II.

155. *Ens per se existens* dicitur illud, quod ipsa sua natura vel est re ipsa sine subjecto, vel sine subjecto potest existere. Hujuscemodi est angelus, homo, lignum, ipsaque etiam humana mens, et si in corpore existat. Illa enim non sunt in subjecto; haec vero non ita in corpore est, ut ipsa sua natura sine corpore esse non possit.

## COROLLARIUM I.

156. Cum ens queat esse in subjecto, quin ab illo essentialiter dependeat (§. 154.), potest ens aliquod existere per se, simulque in subjecto reperiri. Sola ergo naturalis dependentia entis a subjecto, quod perficit, illud est, quod impedit, quomodo ens per se existere a nobis jure dicatur.

## SCHOOLION.

157. Caveamus oportet, ne ens existens per se, & ens existens a se promiscue accipientur. Existit enim per se, quod non dependet a subjecto; existit vero a se, quod nulla prorsus indiget causa, ut existat (§. 124.).

## COROLLARIUM II.

158. Perseitas entis, ut Scholastice loquar, non est nisi mera negatio essentialis dependentie a subjecto in existendo, sive est modus existendi in eo positus, ut ens a subjecto sua in existentia non dependeat, quemadmodum assertas est modus, quo ens ita existit, ut a nulla prorsus dependeat causa producente.

SCHO-

## S C H O L I O N.

159. Dixi, *perseitatem esse negationem essentialiem dependentiam a subjecto*; quia hujuscemodi negatio ita convenit enti, quod per se existit, ut illi insit ratione propriæ essentiæ; penitusque idcirco repugnet, ut ipsum *ens ea privetur*.

## DEFINITIO III.

160. Dicitur *inhærere subjecto*, quod ita *natura sua in subjecto est*, *ipsumque efficit*, ut neque esse, neque fieri, saltem naturæ viribus, possit, *quin in subjecto sit, in eoque producatur*. Sic figura inhærere dicitur ligno; quia ea ratione in ligno est, ut neque fieri sine illo queat, neque existere.

## C O R O L L A R I U M I.

161. Est igitur inharentia modus existendi cum essentiali dependencia subjecto.

## C O R O L L A R I U M II.

162. Perseitas, & inharentia sunt modi existendi contradictionie oppositi. Dependere quippe, & non dependere essentialiter a subjecto contradictionie sibi mutuo adversantur. Hinc

## C O R O L L A R I U M III.

163. Omne ens vel existit per se, vel inharet subjecto. Non enim inter hujuscemodi existendi modos datur medium (*Logica* §. 108.).

*Traditur notio substantiae.*

## I.

164. Non uno modo sumitur *substantia* a Philosophis. Sumitur enim plerumque pro ipsa rei *essentia*, sive *natura*, ut cum dicitur, hominis *substantiam* in eo esse positam, ut sit animal rationale.

## C O R O L L A R I U M I.

165. Hinc, si *substantia* pro *essentia* rei sumatur, *substantiale alteri*

ri recte dicitur, quidquid illi *essential* est, nimirum *quod ad illius essentiam intrinsecus spectat*. Sic anima rationalis erit homini *substantialis*, cum scilicet hominis *essentia ex anima rationali intrinsecus* constituatur. Viciissim vero

## C O R O L L A R I U M II.

166. *Accidentale rei vocabitur, quod ad illius, cui advenit, essentiam minime intrinsecus attinet. Hujusmodi est anima, si cum corpore, quod perficit, comparetur. Neque enim anima ita spectat ad corpus, ut illud essentialiter constituat. Apparet proinde*

## C O R O L L A R I U M III.

167. *Idem habere simul posse rationem attributi substantialis, & accidentalis, si ad diversa referatur. Rationalis quippe anima substantialis homini est (§. 165.), simulque corpori accidentalis (§. 166.).*

## I L.

168. Secundo dicitur *substantia*, quidquid, substat accidentibus, nimirum quidquid, ut explicat Cl. Volfius, perdurable est, & modificabile (a), seu quod est *subjectum determinationum intrinsecarum constantium, & variabilium (b)*. Perdurabile siquidem vocat Vir Cl., quod *determinationes intrinsecas constantes habet (c)*; modificabile vero, quod aliarum *successive determinationum intrinsecarum est capax (d)*. Hoc igitur sensu *homo, lapis, lignum*, aliaque id genus *entia*, sunt *substantia*; quippe ea omnia sunt hujusmodi, ut plures successive determinaciones subire possint; atque adeo mutari, quin esse desinant.

## C O R O L L A R I U M .

169. Cum res creatæ dumtaxat intrinsecis mutationibus obnoxiae sint, *hac substantia notio illis tantummodo convenit. Unde & ipse Vir Cl., nonnisi per eminentiam Deum posse substantiam vocari, fatetur ingenuus (e).*

170.

(a) P. II. Ontol. §. 768.

(d) Ibidem §. 764.

(b) Ibidem §. 769.

(e) Ibidem §. 847.

(c) Ibidem §. 767.

## III.

170. Sumitur postrēmo *substantia* pro ente pēr se existentē; nimirum pro omni eo, quod tali ratione existit, ut in suo fieri, esse, & conservari a nullo subjecto essentialiter dependeat. Sic homo dicitur *substantia*, quatenus est tale *ens*, ut nullum essentialiter subjectum requirat, in quo producatur, atque existat.

## C O R O L L A R I U M I.

171. Sumta *substantia* hoc sensu, illius notio non importat in recto, nisi meram negationem essentialis dependentiae a subjecto (§. 158.), quemadmodum notio *entis* meram tantummodo *intrinsecā contradictionis* negationem eodem quoque modo designat (§. 8.). Hinc

## C O R O L L A R I U M II.

172. Plura convenire in ratione *substantiae* hoc modo sumtæ est ea convenire in negatione essentialis dependentiae a subjecto in existendo; sicuti plura convenire in ratione *entis* non est aliud, quam negationem *intrinsecā contradictionis* esse illis omnibus ex æquo communem (§. 14.). Remanet idcirco,

## C O R O L L A R I U M III.

173. Plura convenire simul posse in ratione *substantiae*, sive *entis* per se existentis, et si in nulla positiva realitate ea ipsa convenienter. Ostensum enim est, eandem negationem posse simul pluribus esse communem, licet nulla *realitas positiva* sit illis ex æquo communis, videlicet et si ea omnia sint inter se primo diversa (§. 14.). Plura autem convenire in ratione *entis* per se existentis est ea convenire in negatione (§. 172.). Ergo &c. Hisce itaque positis, vindendum breviter, an, hoc modo sumta *substantia*, illius notio Deo, & creaturis ex æquo conveniat.

## P R O P O S I T I O I.

*Attributum substantiae, sive entis per se existentis,  
est commune univocum Deo, & creaturis.*

174. Probatur. Deo, & creaturis commune ex æquo est non depen-

pendere a subjecto in existendo, perinde prorsus ac illis ex aequo conveniat nullam penitus in sua formaliteratione contradictionem involvere. Ergo, sicuti ratio entis (§. 21.), ita notio substantiae, si pro ente per se existente ipsa sumatur, est Deo, & creaturis ex aequo communis.

## S C H O L I O N I.

175. Quæ huic assertioni opponi posunt, ex iis, quæ entis haud dissimili univocatione superiori loco dicta sunt, facile, ut arbitror, diluuntur. Profecto, cum in notione substantiae, perinde prorsus ac in notione entis, neque finitas, neque infinitas, nec aliud quidquam hujusmodi, sed sola negatio essentialiter dependentiae a subjecto menti reuceat, quemadmodum in notione entis sola occurrit negatio intrinsecæ contradictionis (§. 1.), nihil est, quod impedit, quominus Deus, non secus ac creatura, ens per se existens, sive substantia dicatur, quemadmodum eadem de causa nihil plane prohibet, quominus Deus, & quævis creata res ens reale nuncupetur. Nullam quoque substantia notio (§. 173.), non secus ac notio entis (§. 15.), potentialitatem refert. Ergo nulla prorsus ex hac univocatione sequitur in Deo imperfectio. Fateor equidem, Deum, S. Augustini iudicio, nonnisi abusive posse substantiam vocari (a). Verum contendo, substantiam tunc ab illo sumi non pro ente per se existente, sed pro eo, quod accidentibus substans, atque ab illis afficitur. Quid enim, inquit, hoc mihi proderat, quando & operat, cum etiam Te, Deus meus, mirabiliter simplicem atque incommutabilem, illis decem prædicamentis putans quidquid esset omnino comprehensum, sic intelligere conarer, quasi & Tu subjectus essem magnitudini Tua aut pulchritudini, ut illa essent in Te, quasi in subjecto, sicut in corpore; cum Tua magnitudo, & Tua pulchritudo Tu ipse sis; corpus autem non eo sit magnum & pulchrum, quo corpus est (b). Nihil ergo hinc colligi legitimate potest, quod assertioni nostræ vel minimum officiat. Libentissime siquidem damus, Deum habere neutiquam posse rationem subjecti; ac proinde neque substantiae, si substantiae nomine, nonnisi quod substans accidentibus, quodque idcirco mutationi obnoxium est, inielligatur.

## S C H O L I O N II.

176. De substantia divisione in spiritualem, & corpoream nihil modo

(a) Lib. VII. de Trinitate n. 10. alias cap. §.

(b) Lib. IV. Confes. cap. 16.

do est, quod dicam. Utriusque notionem paucis dedimus in Logica; eaque etiam ibidem innuimus, in quæ utraque ipsa *substantia* solet vulgo distribui. Majora tradere hac super re non est hujus loci. Speciat quippe ad Physicum, *corporeæ substantiæ* naturam inquirere; ad aliam vero Metaphysicæ partem in *substantiæ spiritualis* investigatione versari.

### *Accidentis notio explicantur.*

#### I.

177. **Duplex accidens** in Scholis distinguitur, *logicum*, & *physicum*. *Accidens logicum* vocatur id omne, quod rei advenit per suam *essentialiam* & *proprietates constituta*, eamque afficit atque denominat. Sic *vestis*, qua homo tegitur, est illi *accidens logicum*. Ei siquidem accidit *essentialiter* jam constituto, suisque omnibus *proprietatibus prædicto*, siveque ipsum afficit, ut hinc *vestitus* dicatur.

### C O R O L L A R I U M I.

178. Cum ergo etiam *substantia*, sive *ens per se existens*, possit alteri *essentialiter* constituto ita advenire, ut ipsum denominet, liquido apparet, *substantiam* hoc modo sumtam habere optime posse rationem accidentis *logici*, si alteri comparetur. Hinc

### C O R O L L A R I U M II.

179. *Substantia sumpta pro ente per se existente*, & *accidens logicum nullatenus* opponuntur.

#### II.

180. *Accidens physicum* est *ens inherens subjecto*, videlicet ea ratione *subjectum afficiens*, ab eoque dependens, ut ipsa sua natura neque fieri, neque esse possit reipsa, quin in *subjecto* sit, & in illo producatur. Hujusmodi sunt *colores* *sapores*, aliæque corporum affectiones sensibiles. Dependent enim adeo a *subjecto*, quod afficiunt, ut nequeant natura sua sine *subjecto* fieri, neque sine illo conservari, & reipsa existere.

### C O R O L L A R I U M I.

181. *Substantia*, sive *ens per se existens*, adeo opponitur accidenti *phy-*

*physico, ut nullum prorsus inter illa medium haberi possit. Etenim existere per se, & inherere subjecto sunt modi existendi penitus oppositi.*  
Hinc

## C O R O L L A R I U M II.

182. *Omne ens vel est substantia hoc sensu, vel accidentis physicum.*

## I I I.

183. Celebris porro est, ac proinde hoc loco haud negligenda, divisio accidentis physici in accidentis simpliciter absolutum, & in accidentis modale. Vocant Scholastici accidentis simpliciter absolutum, quod subjecto quidem inheret, verum non ita, ut repugnet prorsus, illud sine subjecto existere. Modale vero appellant, quod ita ab eo, quod afficit, subjecto dependet, ut ne quidem concipi sine subjecto possit, nemus sine illo per aliquam potentiam existere. Tale est ligni rotunditas. Fieri siquidem nequit, ut concipiatur rotunditas, quin lignum, sive subjectum, in quo ea sit, attingatur, mentique reluceat. Hæc tamen Recentioribus non arridet accidentis divisio. Nullum enim, eorum sententia, est accidentis simpliciter absolutum, sed omnes penitus rerum tam spiritualium, quam corporearum affectionis pro meritis earum modificationibus habentur; unde omne, quod est, in rem, & modum, ut etiam in Logica diximus, ipsi distribuunt.

## I V.

184. Quæ tamen sit modi natura, neque inter Recentiores ipsos plane convenit. Putant nonnulli, quamplures rei modos esse aliquid reale, distinctum prorsus ab ipsa re quam afficiunt, eique superadditum. Contra vero contendunt alii, modum quemlibet nihil aliud esse, quam ipsam rem ita se habentem: rem vero ita se habere, quatenus præcise rebus aliis extrinsecis comparatur, & cum illis confertur. Etsi autem non inficiar, quamplures rei modos esse meras extrinsecas ipsius rei denominationes, vel in pura negatione consistere, opinor tamen, id de omnibus dici nequaquam posse, sed modos aliquos esse admittendos, qui sint aliquid reale, & positivum, a re modificata realiter distinctum.

## PROPOSITIO II.

Dantur modi reales, & positivi, qui nempe sint aliquid reale positivum, distinctum re ipsa a re modificata, eique superadditum.

185. Probatur. Corpus sphericum differt re ipsa a corpore cubico. Differt autem per figuram, ut patet. Ergo figura est aliquid reale. Potest autem corpus, quin pereat, ea, qua affectum est, figura privari. Ergo figura est aliquid reale, distinctum realiter a substantia corporis figurati, eique superadditum.

Quod autem figura sit aliquid positivum, non autem pura negatio, ex eo, ut puto, satis evincitur, quod de figura affectiones plurimae positivae a Geometris demonstrantur. Neque enim pura negatio positivas proprietates habere potest ut ex ipsis terminis res videtur perspicua.

Non me later, opponere quempiam posse, ea, quae de figura a Geometris ostenduntur, non esse proprietates figurae, sed corporeæ substantiae ita se habentis. Verum contra est. Nam plura demonstrantur a Geometris de substantia corporea, quatenus sphaerica, quae illi, si spectetur quatenus cubica, haudquam convenient. Ergo per aliud, & quidem reale positivum, substantia ipsa sphaerica est, per aliud cubica. Non enim per idem possunt symptomata adeo diversa eidem subiecto convenire, deque illo ostendi. Illud autem, ratione cuius affectiones tam diversae de corporeâ substantia in Geometria demonstrantur, est ipsa figura, atque adeo modus, ut patet. Ergo modus hujusmodi non solum aliquid reale est, distinctum realiter ab ipsa substantia, eique contingenter adveniens, verum etiam est aliquid positivum.

Porro de modis pluribus etiam spiritualis substantiae res mihi videtur apetta. Cogitationes namque, & volitiones, quae meræ modificationes ipsius substantiae dicuntur, neque puræ sunt negationes, neque meræ denominationes extrinsecæ. Itaque etiam in rebus spiritualibus aliqui dantur modi reales, & positivi, adeoque &c.

## SECTIO SECUNDA.

*De ente absoluto, & relativo.*

## DEFINITIO I.

186. **A**bsolutum dicitur *ens*, quod concipi a nobis potest, & reipsa concipitur, quin simul aliud ab eo distinctum intelligatur. Sic homo, quatenus homo, est *ens absolutum*. Hominis siquidem notio haudquaquam exigit, ut aliud assumatur *ens* cui homo comparetur.

## DEFINITIO II.

187. Contra vero *ens relativum*, sive *relativum*, dicitur illud, quod intelligi minime potest, nisi aliud *ens* ab eo distinctum simul concipiatur. Hujuscemodi sunt dominus, servus, simile, aequalis, atque id genus alia. Nequit enim mens *dominum* concipere, quin simul *servum* intelligat.

## S C H O L I O N.

188. *Ens absolutum* dicitur in Scholis *ens ad se: ad aliud vero ens relativum*.

## COROLLARIUM.

189. Omne *ens vel absolutum est, vel relativum*. Etenim omne *ens vel* est hujumodi, ut possit concipi, quin ad aliud referatur; *vel est* hujusmodi, ut intelligi nequeat, nisi alteri comparetur.

## DEFINITIO III.

190. *Denominatio rei absoluta est illa, qua ipsi rei tribuitur, eique convenit reipsa, omni prorsus seclusa ejusdem rei comparatione ad extrinseca.* Talis est in corpore *denominatio albi*. Neque enim corpus referri ad aliud debet, ut album dicatur.

## DEFINITIO IV.

191. *Denominatio vero relativa ea est, qua tribuitur rebus ex earum comparatione ad extrinseca.* Hujusmodi est *denominatio aequalis*. Hæc enim

ēnī non convénit corpori, nisi quatenus ad aliud refertur, atque cum illo penes quantitatem, ut dicemus, comparatur.

## C O R O L L A R I U M .

192. Quēmadmodum omne ens (§. 189.), ita omnis rei denominatio vel *absoluta* est, vel *relativa*.

## D E F I N I T I O V.

193. *Fundamentum relativæ denominationis* voco id, per quod termini sunt proxime relative *denominabiles*. Sic actio, qua Petrus Paulum generat, est *fundamentum relativæ denominationis patris*, quæ Petro tribuitur. Est enim id in Petro, ex quo cognito determinatur mens, ut Petro relativam *patris determinationem* tribuat, utpote id, per quod Petrus est proxime capax, ut *pater Pauli* dicatur.

## S C H O L I O N I.

194. Ut removeatur cavillandi occasio, *fundamentum relativæ denominationis* illud ipsum mihi est, quod Scholastici rationem fundandi sive *fundamentum proximum relationis* appellant.

## S C H O L I O N II.

195. Præter rationem illam, per quam res sunt proxime *relative denominabiles*, formam quamdam, quam *relationem* dicunt, rebus superaddendam putant rigidiiores Scholastici, ut *relative re ipsa denominentur*. Ajunt autem, hanc formam illius esse naturæ, ut, posita proxima *ratione fundandi*, statim inter ipsos terminos emergat; pereat vero, *ratione ipsa sublata*. Sic posita *actione*, per quam a Petro suam Paulus existentiam recipit, ea statim in Petro, illorum sententia, resultat forma, quæ *paternitas* dicitur; ea vero in Paulo forma emergit, quæ vulgo *filiatio* nuncupatur. Contra vero contendunt Recentiores, ad relativam *denominationem* rebus tribuendam satis esse *rationem ipsam fundandi*, sive proximam earum *relativam denominabilitatem*; nullamque idcirco dari *relationem*, quæ sit *entitas*, sive *forma* ab hac ratione distincta, ipsisque rebus, quæ *relative denominantur*, superaddita. Hæc posterior opinio mihi semper probabilior visa est. Quamobrem, salva, quæ summis Vi-ris contra sentientibus jure debetur, reverentia, sit.

## PROPOSITIO I.

*Nulla datur relatio, quæ sit entitas, sive forma distincta a ratione proxima fundandi, sen a relativa terminorum denominabilitate, ipsisque superaddita.*

196. *Probatur.* Posita proxima ratione fundandi, omnique alia forma, sive entitate seclusa, habetur in rebus, quidquid in illis est opus, ut, mutua earum facta comparatione, relative denominentur. Ergo nulla datur relatio, quæ sit forma reipsa distincta a ratione proxima fundandi, ipsisque terminis superaddita; *Conseq. est evidens.* Hæc enim ideo admittitur, ut termini relative per eam denominentur, quemadmodum corpus per albedinem album nuncupatur. *Prob. auct.* etenim, posita proxima ratione fundandi, factaque mutua terminorum comparatione, ipsi termini nobis apparent, ut proxime relative denominabiles. Ratio siquidem illa est, per quod termini sunt proxime apti, ut relative denominentur (§. 193.). Ergo &c.

*Confirmatur.* Relativa rerum denominabilitas illud unice est, quod in rebus ipsis intelligitur, cum earum una ad aliam refertur. Ergo relativa rerum denominabilitas illud est dumtaxat, quo determinatur mens, ut, cum res ipsis inter se mutuo comparat, eas relative denominet.

## S C H O L I O N.

197. *Relativam denominabilitatem* illud unice esse, quod attingitur in rebus, cum earum una ad aliam refertur; atque adeo quod mentem determinat, ut, comparatione facta, res ipsis relative denominet, constabit proorsus ad evidentiam, si æquo attentoque animo expendere nequaquam pigrat, undenam relativæ similium, & dissimilium, aequalium, & inæqualium, causa demum, atque effectus, denominationes deriventur. Perspicuum quippe hinc fiet, nullam esse relationem similitudinis, & dissimilitudinis, aequalitatis, & inæqualitatis, cause, & effectus, quæ sit entitas realis ipsa distincta a proxima ratione fundandi, ac proinde a relativa ipsorum terminorum denominabilitate. Sit ergo

## DEFINITIO VI.

198. *Convenire duo in aliqua ratione dicuntur, cum ea sunt hujusmodi, ut si penes illam rationem spectentur, atque inter se mutuo conver-*

ferantur, discerni eorum unum ab altero nequaquam possit. Sic duo alba convenire dicuntur in albedine, propterea quod, mutua eorum penes albedinem comparatione instituta, fieri minime queat, ut unum ab altero discernatur.

## C O R O L L A R I U M .

199. Itaque duo convenire in aliqua ratione, perinde omnino est, ac illa esse penes illam rationem eodem mentis conceptu conceptibilia.

## L E M M A .

*Convenientia duorum in aliqua ratione non est entitas, sive forma realis, reipsa distincta ab illa ratione, in qua convenientia.*

200. Probatur. Etenim posita albedine in duobus corporibus, omnique alia entitate, sive forma reali distincta ab albedine, non solum præcisa, ac prorsus neglecta, verum etiam penitus repugnante, duo illa corpora sunt hujusmodi, ut, si penes albedinem conferantur inter se mutuo, discerni unum ab altero minime possit, sed eodem plane conceptu conceptibilia sint, & reipsa concipientur. Ergo illa duo corpora convenientia in albedine, quin ulla alia *realis forma* illis superaddatur (§. 199.); ac proinde duorum convenientia &c.

## S C H O L I O N .

201. Quod diximus de convenientia, de non convenientia intelligendum itidem est. Videlicet, sicuti non est opus *forma distincta*, ut duo in aliqua ratione convenientia, ita distincta *forma* opus non est, ut duo in aliqua ratione minime convenire dicantur. Profecto, quemadmodum duo alba hoc ipso præcise, quod sint *alba*, convenientia in albedine, ita hoc ipso præcise, quod alterum duorum corporum *album* sit, & alterum *nigrum*, in qualitate non convenientia.

## D E F I N I T I O VII.

202. *Similia* sibi mutuo dicuntur illa, quæ in qualitate convenientia, *dissimilia*, quæ in qualitate non convenientia. Sic duo alba, quatenus alba, sunt *similia*; at vero *dissimilia* *album*, & *nigrum*. Convenientia enim illa in qualitate, hæc vero nequaquam.

## C O R O L L A R I U M I.

203. *Similia sunt similia re ipsa, hoc est, omni secluso opere intellectus.* Etenim duo alba conveniunt in albedine, etsi intellectus minime illa consideret. Id ipsum dico de *dissimilibus*.

## C O R O L L A R I U M II.

204. *Similitudo est convenientia; dissimilitudo est non convenientia duorum in qualitate.*

## P R O P O S I T I O II.

*Similitudo, & dissimilitudo non sunt entitates reales re ipsa distinctae a qualitate, penes quam comparatione facta duo inter se mutuo similia, vel dissimilia dicuntur.*

205. *Probatur.* Etenim nec convenientia, neque non convenientia duorum in qualitate est forma distincta ab ipsa qualitate, ipsisque terminis superaddita (§§. 200. 201.). *Similitudo autem est convenientia, dissimilitudo vero est non convenientia duorum in qualitate* (§. 204.). Ergo &c.

## D E F I N I T I O VIII.

206. Dicuntur *aequalia* inter se, quæ in quantitate convenientia; *inæqualia* vero, quæ in quantitate non convenientia. Sic duo ligna palmaris longitudinis dicuntur *aequalia*, si conferantur inter se mutuo penes *quantitatem*. Contra vero *inæqualia* sunt ligna, quorum alterum palmaris, alterum bipalmaris sit longitudinis. Illa etenim, minime vero ista, in quantitate convenientia.

## C O R O L L A R I U M I.

207. *Tam aequalia, quam inæqualia, sunt hujusmodi, omni prorsus secluso opere intellectus.* Etenim independenter ab omni consideratione intellectus, duo ligna palmaris longitudinis ita se habent, ut, si unum superponatur alteri, neque illud excedat, neque ab illo excedatur. Hujuscemodi quoque sunt lignum palmaris, & lignum bipalmaris longitudinis, ut unius magnitudo alterius magnitudinem supereret.

Co-

## C O R O L L A R I U M II.

208. *Æqualitas est convenientia; inæqualitas est non convenientia duorum in quantitate.*

## P R O P O S I T I O III.

*Æqualitas, & inæqualitas non sunt entitates reales re ipsa distinctæ a quantitate, penes quam facta duorum comparatione, æqualia, vel inæqualia inter se mutuo illa duo dicuntur.*

209. Probatur eodem modo, quo de similitudine, & dissimilitudine idipsum præcedenti propositione demonstravimus.

## C O R O L L A R I U M .

210. Patet itaque similitudinem, & dissimilitudinem, æqualitatem, & inæqualitatem nihil esse distinctum re ipsa ab illa ratione, per quam res sunt proxime aptæ, ut, instituta mutua earum comparatione, similes, aut dissimiles, æquales, vel inæquales denominentur.

## S C H O L I O N.

211. Inficias ibit nemo, recte vocari *similia*, quæ in qualitate; *æqualia*, quæ in quantitate, convenienti, & quidem ex eo præcise, quod hujuscemodi convenientia inter illa habeatur. Non enim id potest in dubium verti, quin lis de nomine moveatur. Neque enim aliud non erudit solum, verum etiam imperiti atque penitus rudes intelligunt, cum duo alba dicunt *similia* inter se, duoque ligna palmaris longitudinis *æqualia* appellant. Ceterum si quis velit, præter hanc convenientiam in qualitate, & quantitate, distinctam formam, sive entitatem requiri, ut duo *similia* inter se, vel *æqualia* dicantur, velim quoque ipse sciat, id meram esse petitione principii; ac proinde non pro certo habendum illud esse, sed demonstrandum.

## P R O P O S I T I O IV.

*Relativa denominatio cause non est formaliter ab entitate aliqua reali distincta re ipsa ab actione, qua causa effectum producit.*

212. *Probatur.* Deus vere est, recteque dicitur rerum omnium causa independenter ab omni entitate, sive forma reali re ipsa distin-

cta ab illo actu Divinæ voluntatis, quo Deus ipse vult, creaturam existere. Nihil enim novi advenire potest Deo, eique, perinde, atque forma subjecto, realiter contingere. Ergo universaliter relativa denominatio *causa* non est a *forma reali* distincta re ipsa ab actione, qua causa effectum producit, atque entitati ipsius causæ superaddita. Quia enim ratione non requiritur hujuscemodi *forma*, ut Deus *causa* rerum dicatur, eadem ipsa ratione frustanea est talis *forma*, ut ens quodlibet creatum denominationem *causa* jure obtineat.

Neque porro aliquid vel minimum negotii facessit, quod ajunt non nulli, repugnare scilicet, ut *forma* nova adveniat Deo; minime vero ut illa creaturæ contingat. Etenim contra est; quia vel denominatio *causa* necessario oritur a *forma reali* distincta ab actione, vel non. Si hoc alterum: ergo neque in creaturis opus est hujuscemodi *forma* distincta, ut *causa* dicantur. Sin primum: ergo Deus nequit creaturarum *causa* nuncupari. Deus enim incapax illius denominationis est, quæ provenit necessario a *forma reali* superaddenda subjecto, ut paret de denominatione alibi, quæ ideo præcise Deo non convenit, quia Deus incapax est illius *formæ*, a qua talis denominatio necessario derivatur.

#### C O R O L L A R I U M .

213. Nulla itaque est relatio *causa* ad effectum, atque adeo neque effectus ad causam, quæ sit entitas realis distincta re ipsa ab actione, per quam effectus suam a causa existentiam obtinet.

#### S C H O L I O N .

214. An actio sit relatio, res non est hujus loci. Mihi quippe satis in præsens est, nihil reale distinctum ab actione in eo requiri, quod aliquid producit, ut illius *causa* ipsum dicatur. Stat quippe, ad denominationem *causa* alicui tribuendam sufficere id, quod relationum distinctarum patroni fundamentum proximum relationis appellant. Actio enim, eorum sententia, non est nisi fundamentum proximum illius relationis, quam, ajunt, agenti superaddendam esse, ut denominatio *causa* jure illi tribuatur.

#### C O R O L L A R I U M I. U N I V E R S A L E .

215. Relatio prout in rebus, sive cum præcisione ab omni actu comparativo intellectus, nihil est aliud, nisi ipsa terminorum, quæ relative

*lative denominantur, referibilitas, sive denominabilitas relativa.*

## COROLLARIUM II. UNIVERSALE.

216. Ad relativam denominationem rebus tribuendam necesse est, ut mutua earum referibilitas cognoscatur; atque hinc, ut res ipsae conferantur inter se mutuo penes illam rationem, penes quam sunt re ipsa inter se mutuo referibiles. Hinc

## COROLLARIUM III. UNIVERSALE.

217. Denominatio relativa partim intrinseca rebus est, partim extrinseca. Est enim intrinseca, quatenus res ipsae meritum habent in se, ut relative denominantur. Est vero extrinseca, quatenus nequit mens eas relative denominare, nisi illarum unam ad alteram referat, easque comparet inter se mutuo. Neque enim duo alba possunt denominari *similia*, nisi percipientur in *albedine* convenires ac proinde nisi penes *albedinem* inter se mutuo conferantur.

## ANIMA DVERSIO.

218. Ut iis omnibus momentis fiat satis, quibus relationum existentia propugnari a rigidioribus Scholasticis solet, animadversum maximopere est, non aliud illius evinci, nisi dari in rebus rationem quandam *realem*, per quam, nullo cogitante intellectu, proxime aptae sunt, ut, comparatione penes illam instituta, relative denominantur.

## SECTIO TERTIA.

*De ente essentialiter simplici, & composito.*

## DEFINITIO I.

219. **E**ns *essentialiter simplex* dicitur illud, cuius *essentia intrinsecus non constat ex pluribus re ipsa distinctis inter se, atque a se mutuo separabilibus*. Sic Deus est ens *essentialiter simplex*; quippe in illius *essentia plura distinguiri non possunt*; ex quorum *unione ipse consurgat*.

DE-

## DEFINITIO II.

220. Illud vero ens *essentialiter compositum* vocatur, *cujus essentia ex pluribus consurgit re ipsa distinctis inter se, & a se mutuo separabilibus.* Talis est homo. *Essentialiter* siquidem constat *ex anima rationali, & corpore.*

## S C H O L I O N.

221. Loquor de compositione reali, seu *physica*. Compositio enim tum *metaphysica ex essentia, & proprietate, tum logica ex genere, & differentia, non est, nisi lato modo, compositio.*

## C O R O L L A R I U M.

222. *Omne ens vel est essentialiter simplex, vel compositum.* Cujusvis enim entis essentia vel intrinsecus constat ex pluribus, vel non constat.

## DEFINITIO III.

223. *Ex sui nihilo fieri aliquid dicitur, cum ita fit, ut nihil prorsus antea in rerum natura extiterit, ex quo illud intrinsecus componatur, sive quod ad illius essentiam intrinsecus pertineat.* Sic anima rationalis dicitur fieri *ex nihilo sui.* Nihil est enim in rerum natura, ex quo praexistente tamquam ex parte, rationalis anima veluti totum aliquid, *essentialiter* fiat: uno verbo, ita fit, ut nihil ejus fuerit, antequam ipsa fieret.

## DEFINITIO IV.

224. Abire dicitur *in nihilum sui, quod ita perit, ut nihil prorsus illius in rerum natura superfit.* Sic abiret homo, cum moritur, *in nihilum sui, si neque anima, neque aliquid corporis in rerum natura post illius mortem relinqueretur.*

## DEFINITIO V

225. *Ex nihilo subjecti res fieri dicitur, cum res ipsa a subjecto, ut fiat, atque existat, non dependet.* Hoc modo fit humana mens, et si, ut dicimus, in corpore producatur. Non enim ipsa sua natura ita dependet a subjecto, ut neque fieri, neque existere possit, quin in subjecto fiat, in eoque existat.

Co-

## C O R O L L A R I U M .

226. *Sumta substantia pro ente per se existente, omnis substantia ex nihilo subjecti efficitur. Quod enim per se existit, non dependet a subjecto* (§. 155.).

## D E F I N I T I O VI.

227. *Dicitur res in nihilum abire subjecti, cum perit, quin in subjecto, a quo natura sua dependeat, destruatur. Sic humana mens abiret in nihilum subjecti, si in morte periret. Nullum quippe subjectum est, a quo ipsa mens natura sua dependeat.*

## C O R O L L A R I U M .

228. *Omnis substantia, si pro ente per se existente ipsa sumatur, destrui nequit, quin in subjecti nihilum abeat. Quod enim existit per se, a subjecto non dependet* (§. 155.).

## S C H O L I O N.

229. *Dicitur quoque fieri ex nihilo subjecti, quod fit ex nullo præ-existenti subjecto, tamquam ex parte essentiali determinabili, sicut etiam abire in nihilum subjecti, quod ita perit, ut subjectum non remaneat, ex quo intrinsecus sit constitutum. Verum si fieri ex nihilo subjecti, & abire in nihilum subjecti hoc modo sumantur, fieri ex nihilo subjecti perinde est, ac fieri ex nihilo sui, & abire in nihilum subjecti idem prorsus est, ac abire in nihilum sui, ut rem expediti fieri perspicuum.*

## D E F I N I T I O VII.

230. *Creatio est productio rei ex nihilo sui, & subjecti. Duo nimirum requiruntur, ut res aliqua creari dicatur. Primum est, ut res fiat ex nihilo sui, videlicet ea ratione, ut nulla essentialis illius pars præexistat, antequam res ipsa fiat (§. 223.). Secundum, ut fiat, quin aliquod habeatur subjectum, a quo res ipsa in sua productione intrinsecus dependeat (§. 225.). Sic anima rationalis dicitur a Deo creari, quia nihil præexistit, ex quo mens ipsa intrinsecus componatur; neque a subjecto, in quo fiat, natura sua dependet.*

DE-

## DEFINITIO VIII.

231. Annihilari dicitur res, cum ita definit esse, ut abeat in nihilum sui, & subjecti, videlicet ut nihil ipsius remaneat (§. 224.), neque a subjecto dependeat (§. 227.). Hoc modo periret humana mens. Quandoquidem nihil illius relinqueretur; neque subjectum postulat intrinsecus, ut existat.

## PROPOSITIO I.

*Dari nequit ens compositum, quin vel detur ens simplex;*  
*vel processus in infinitum in iis admittatur, quae ipsum*  
*ens intrinsecus constituant.*

232. Probatur. Cum enim omne ens sit vel simplex, vel compositum (§. 222.), hujuscemodi quoque erit id omne, ex quo ipsum ens intrinsecus coalescit. Itaque si illud est ens simplex, jam patet, dari ens simplex, si habetur ens compositum. Si vero eorum quodlibet est compositum, quero de singulis, cujuscemodi sint, atque ita deinceps in infinitum. Ergo &c.

## PROPOSITIO II.

*Non habetur ens compositum, dum a se mutuo separata existunt*  
*ea, ex quibus ipsum ens intrinsecus coalescit.*

233. Probatur. Dum enim ea separata sunt inter se, ex quibus ens aliquod constare intrinsecus dicitur, nulla prorsus habetur compositio, utpote nihil ab unione diversum. Ergo nullum quoque habetur ens compositum.

Confirmatur. Nam illa, si spectentur ut separata, non sunt unum, sed multa (§. 33.). Ens autem compositum vere est, recteque dicitur unum (§. 39.). Ergo, posita partium separatione, nullum est ens compositum.

## COROLLARIUM.

234. Hinc ea omnia, ex quibus componitur ens, possunt re ipsa existere, quin ipsum ens in rerum natura habeatur. Illa siquidem omnia possunt existere, quin inter se mutuo sint unita, ac proinde quin illud habeatur ens, quod ex illis constare dicitur. Profecto, facta separatione animæ rationalis a corpore per mortem, non habetur

tur homo, & tamē tam anima, quam corpus tunc existunt.

## PROPOSITIO III.

*Ens compositum non est aliud re ipsa ab iis omnibus simul sumtis & unitis, ex quibus intrinsecus coalescit.*

235. *Probatur.* Ea, ex quibus intrinsecus constat *ens compositum*, simul sumta atque unita, sunt *unum ens unitate compositionis* (§. 39.). Sunt enim aliquid, divisibile quidem in plura, sed re ipsa in se indivisum. Ergo sunt illud ipsum *ens*, quod ex illis intrinsecus constare dicitur.

*Confirmatur.* In ente *composito* ea tantum nobis occurrent, ex quibus constat intrinsecus, simul unita. Sic concipitur homo, cum percipitur humana mens corpori unita; neque aliud quidquam nobis in homine occurrit, nisi anima rationalis, corpus organicum, & eorum unio. Ergo *ens compositum* non est aliud re ipsa ab iis simul sumtis & unitis, ex quibus intrinsecus coalescit. Sane non video, nec videre uocuam potui, quomodo totum sit aliud re ipsa a suis partibus simul sumtis & unitis, si, dum concipitur totum, nihil aliud, nisi omnes ipse partes simul unitæ concipientur.

## COROLLARIUM.

236. Igitur, ut *ens compositum* definat esse, sufficit, ut ea separantur a se mutuo, ex quibus constat. Ut autem fiat, satis est, ut ea, ex quibus dicitur intrinsecus coalescere, simul debita ratione uniantur. Nullum est enim *ens compositum*, dum ea separata sunt a se mutuo, ex quibus constat (§. 233.); ipsumque nihil re ipsa est diversum ab omnibus suis partibus simul unitis (§. 235.).

## PROPOSITIO IV.

*Ens compositum est aliud re ipsa a quolibet eorum, ex quibus intrinsecus constat, divisim ab aliis sumto.*

237. *Probatur.* Nam *ens compositum* plura essentialiter involvit, ea scilicet omnia, ex quibus dicitur intrinsecus coalescere. Ergo est aliud re ipsa a quolibet illorum, seorsim ab aliis sumto. Sic homo est aliud re ipsa tum a corpore, tum ab anima, si divisim spectentur; cum sua in essentia tum animam, tum organicum corpus contineat.

## PROPOSITIO V.

*Ens simplex non potest fieri, nisi ex nihilo sui.*

238. *Probatur.* Cum enim *ens simplex* non constet ex pluribus (§. 219.), nihil haberi potest in rerum natura, ex quo præexistente ipsum *ens intrinsecus* componatur. Illud namque esset pars *intrinseca ipsius entis*. Ergo *ens simplex* nonnisi ex *sui nihilo* potest produci (§. 223.).

## PROPOSITIO VI.

*Substantia simplex non potest fieri, nisi per creationem.*

239. *Probatur.* Substantia simplex non potest fieri, nisi ex *nihil sui* (§. 238.), & ex *nihilo subjecti* (§. 226.). Creatur autem, quod ex *nihilo sui*, atque *subjecti* efficitur (§. 230.). Ergo substantia simplex nonnisi per creationem potest produci.

## PROPOSITIO VII.

*Ens simplex perire nequit, nisi in *sui nihilum* abeat.*

240. *Probatur.* Si namque ita periret *ens simplex*, ut aliquid illius relinqueretur, jam ex illo, tamquam ex parte, *intrinsecus coalesceret*. Ergo non esset *ens simplex* (§. 219.). Perire igitur haud potest *ens simplex*, quin in *sui nihilum* abeat (§. 227.).

## PROPOSITIO VIII.

*Non potest perire substantia simplex, nisi per annihilationem.*

241. *Probatur.* Nam substantia simplex perire non potest, quin tum in *nihilum sui* (§. 240.), tum in *nihilum subjecti* (§. 226.) ipsa redigatur. Ergo perire nequit, nisi per annihilationem (§. 231.).

## PROPOSITIO IX.

*Potest fieri ens compositum, quin fiat ex *nihilo sui*.*

242. *Probatur.* Enimvero, cum *ens compositum* ex pluribus *intrinsecus*

secus constet (§. 220.), eaque possint esse hujusmodi, ut eorum unum queat existere, ceteris non existentibus; ac proinde quin existat ipsum *ens compositum* (§. 234.), potest ipsum *ens* fieri ex uno illorum jam præexistente. Ergo produci potest, quin ex *sui nihil* producatur (§. 223.).

## C O R O L L A R I U M .

243. *Potest fieri ens compositum, quin creetur. De ratione namque creationis est, ut res ex *sui nihil* producatur (§. 230.).*

## P R O P O S I T I O X.

*Interire potest ens compositum, quin in *sui nihilum* abeat.*

244. *Probatur. Sicuti namque potest fieri ens compositum ex præexistente subjecto, ita potest perire, quin ea omnia simul pereant, ex quibus intrinsecus coalescit. Ergo interimi potest ens compositum, quin in *sui nihilum* redigatur (§. 224.).*

## C O R O L L A R I U M .

245. *Potest perimi ens compositum, quin illius destruccióne fit annihilationis. Id enim necessario postulat annihilationis, ut res in *sui nihilum* abeat (§. 231.).*

## P R O P O S I T I O XI.

*Potest fieri ens compositum, quin ulla prorsus absoluta entitas ex *nihilo sui* producatur.*

246. *Probatur. Fit ens compositum hoc ipso præcise, quod ea simul uniantur, ex quibus dicitur ipsum *ens* intrinsecus coalescere (§. 236.). Nulla autem producitur *absoluta entitas* ex eo tantum, quod fiat aliquorum unio. Ergo potest fieri ens compositum, quin *absoluta aliqua entitas* ex *sui nihil* producatur.*

## C O R O L L A R I U M .

247. *Potest fieri ens compositum, quin aliqua entitas absoluta creetur. Nihil enim creatur, si ex *sui nihil* nihil efficitur (§. 230.).*

PRO-

## PROPOSITIO XII.

*Potest destrui ens compositum, quin aliqua entitas absoluta  
in sui nihilum redigatur.*

248. *Probatur.* Nam destruitur *ens compositum* hoc ipso præcise, quod separantur ea a se mutuo, ex quorum unione illud consurgit (§. 236.). Nulla autem tunc perit *entitas absoluta*, ut patet. Ergo perire potest *ens compositum*, quin *entitas aliqua absoluta* in *sui nihilum* abeat (§. 224.).

## COROLLARIUM.

249. *Potest perire ens compositum quin habeatur absoluta alicujus entitatis annihilationis.* Non enim habetur *annihilationis absoluta* alicujus *entitatis*, si nulla hujuscemodi *entitas* in *sui nihilum* redigatur (§. 231.).

## DISSERTATIO IV.

## De causis.

**A**tributum *causæ* non minus *transcendentale* est, quam sint ea, quæ hactenus explicavimus. Illud enim non *spiritualibus* tantum *rebus*, neque solum *corporeis*, sed utrisque convenire, res est perspicua. Pertinet igitur ad *metaphysicū* *contemplatio causa-*rum. Quamobrem de his in hac quarta Dissertatione & ipsi agemus.

## SECTIO PRIMA.

## De causis in genere.

## DEFINITIO I.

250. **N**omine *principii*, generatim loquendo, intelligitur, id quod rationem continet, cur illud sit, cuius dicitur *principium*; quodque proinde *principiatum* nuncupatur. Sic quoniam pater & filius ita se habent, ut in patre contineatur ratio, cur filius existat, pater dicitur *principium filii*, & filius *principiatum*.

Co-

## C O R O L L A R I U M I.

251. *Principium debet aliquo modo distingui a principiato: Continetur enim ratio in principio, cur sit principiatum.*

## S C H O L I O N.

252. *Dixi, principium a suo principiato debere aliquo modo distingui. Non enim necesse est, ut penes essentiam distinguantur. Pater quippe in Divinis vere est, recteque dicitur principium filii, licet eadem numero essentia in utroque habeatur.*

## C O R O L L A R I U M II.

253. *Adest necessaria connexio inter principium, & principiatum. Ita namque se habent, & sese mutuo respiciunt, ut unum ex altero colligatur.*

## C O R O L L A R I U M III.

254. *Principiatum posterius aliquo modo est suo principio, ab eoque certa ratione dependet. Ideo namque habetur principiatum, quia datur principium.*

## S C H O L I O N.

255. *Posterioritas principiati, ejusque dependentia a suo principio, non semper sunt hujusmodi, ut hinc aliqua imperfectio in ipso principiato inferri jure ac merito liceat, adeo nempe ut nihil prorsus rationem principiati habere queat, quin sit imperfectum. Cum enim pater in Divinis vere sit principium filii, is posterior idcirco patre est, ab eoque dependet, neque tamen aliqua vel minima hinc in filio sequitur imperfectio. Itaque tunc solum posterioritas, & dependentia principiati a suo principio imperfectiōē involvunt, cum principiati essentia ab essentia principii prorsus distinguitur, adeo nimis ut principiatum sit omnino aliud a suo principio.*

## C O R O L L A R I U M IV.

256. *Repugnat prorsus, ut idem, si cum eodem penes eandem rationem conferatur, sit simul principium, & principiatum. Aperta quippe Phil. Ment. T. II.*

E

con

contradiccio est, ut unum sit prius alio, eoque simul posterius; simulque in eadem linea ab eodem dependeat, & non dependeat.

### DEFINITIO II.

257. Dividitur principium in principium rei, & in principium cognitionis, seu in principium essendi, & in principium cognoscendi. Principium, sive essendi, dicitur illud, per quod aliud est. Illud vero principium cognoscendi nuncupatur, per quod aliud cognoscitur. Sic quoniam a patre habet esse filius, pater est principium essendi ipsius filii. Quoniam vero axioma illud impossibile est, idem simul esse, & non esse, ad plura, quae nos latent, cognoscenda infervit, principium cognitionis vocatur.

### DEFINITIO III.

258. Principium essendi duplex est, internum, & externum. Internum dicitur, quod ad rei essentiam, cuius est principium, intrinsecus spectat. Externum autem vocatur, quod ad assentiam principiati intrinsecus nequaquam attinet. Sic pater est principium externum filii; internum vero anima atque corpus. Etenim anima & corpus ita respiciunt hominem, ut illius essentiam intrinsecus constituant. At vero patris essentia ab essentia filii prorsus distingitur.

### DEFINITIO IV.

259. Causa in genere dicitur principium influens esse in aliud, sive elarius: causa generatim sumta est id, quod rationem continet, cur aliquo modo habeatur aliud natura distinctum. Quod autem a causa suum esse recipit, effectus nuncupatur. Causa itaque dicitur principium, quod stat loco generis. Omnis enim causa principium est (§. 250.); cum rationem contineat, cur sit effectus. At vero non omne principium est causa; cum non sit de ratione principii, ut a suo principiato natura distinguatur (§. 252.). Pater proinde in creatis est vere causa filii. At in Divinis non est, nisi principium. In creatis namque pater distinguitur penes essentiam a filio, qui suum esse ab alio recipit; non sic autem in Divinis, ut est manifestum.

### COROLLARIUM I.

260. Omnis ergo effectus posterior natura est sua causa, ab eoque essen-

-

*sentialiter dependet. Effectus enim ita respicit causam, ut ab illa suum esse recipiat. Dependet igitur a causa quoad suum esse; & ideo non esset effectus, si nulla fuisset causa. Contra vero optimo potest esse causa, quin habeatur effectus; cum ratio, cur existat causa, in effectu non comprehendatur.*

## C O R O L L A R I U M II.

261. *Quemadmodum fieri nequit, ut idem, si penes eandem rationem cum eodem conferatur, rationem simul habeat principii, & principiati (§. 256.), ita repugnat prorsus, ut idem, si alteri penes eandem rationem comparetur, sit illius simul causa, atque effectus.*

## D E F I N I T I O V.

262. *Causalitas causæ est illa ratio in causa, propter quam habetur effectus. Sic quoniam actio patris est ratio, cur existat filius, actio ipsa est causalitas patris in filium.*

## D E F I N I T I O VI.

263. *Conditio sine qua non vocari id omne solet quod necessario quidem requiritur, ut habeatur effectus, verum non ita, ut in illo sit ratio, cur effectus existat. Sic appropinquatio ignis ad stupram non est, nisi conditio, sine qua combustio haberri non potest. Etsi enim, appropinquatione sublata, fieri nequeat, ut stupa comburatur, ratio tamen, cur fiat combustio, in ipsa appropinquatione minime comprehenditur.*

## D E F I N I T I O VII.

264. *Causa porro vel adæquata est, vel inadæquata. Adæquata dicitur illa, quæ adeo influit esse in effectum, ut totam ipsa in suo genere rationem contineat, cur sit effectus. Contra vero inadæquata ea est, quæ in suo genere totam rationem, cur sit effectus, minime comprehendit. Sic ignis est adæquata causa combustionis. At vero pater non est causa filii, nisi inadæquata. In igne enim tota habetur ratio, cur fiat combustio. Contra vero tota non est ratio in patre, cur filius existat.*

## C O R O L L A R I U M I.

265. *Nihil ergo est in effectu, cuius sufficiens ratio in adequata ipsius effectus causa non contineatur.*

## C O R O L L A R I U M II.

266. *Causa adæquata ita influit esse in effectum, ut ea posita, omnia que alia in eodem genere & ordine sublata, effectus ipse perfectissime existat.*

## D E F I N I T I O VIII.

267. Dividitur postremo *causa*, quemadmodum *principium* (§.258.), in *intrinsecam*, & *extrinsecam*. *Intrinseca* est illa, quæ ita influit in *id*, cuius dicitur *causa*, ut illud essentialiter constituat. *Extrinseca* vero ea est, quæ ad *essentiam illius*, cuius *causa* vocatur, *intrinsecus* constituantem *minima spectat*. Sic lignum dicitur *causa intrinseca* *statuæ*, quæ ex illo fit; *extrinseca* vero *artifex*, a quo efficitur. Fit enim *statura* ex *ligno*, perinde ac *totum ex parte*. At non ita fit ab *artifice*, ut *illius essentiam artifex ipse ingrediatur*, eamque constituat.

*Genera causarum.*

268. Aristotelis fuit opinio, omnium deinde Scholasticorum firmata consensu, quatuor esse causarum genera, quæ ad habendum *ens compositum* necessario requiruntur, *materiale* scilicet, *formalem*, *efficientem*, & *finalem*. Vocant *materiale* *causam id*, ex quo præexistente fit *compositum*; *formalem* *id*, per quod *compositum* est *tale ens in specie*; *efficientem* agens *illud, a quo compositum producitur*; *finalem* vero *id, propter quod agens operatur*, ipsumque *compositum* efficit. *Causam* Aristoteles putat tribus modis dici, inquit Seneca. *Prima causa* est *ipsa materia*, sine qua *nihil* potest *effici*. *Secunda opifex*. *Tertia forma*, quæ *unicuique operi imponitur*, tamquam *statura*. Nam hanc Aristoteles *idos* vocat. *Quarta quoque*, inquit, *bis accedit*, *propositum totius operis* (a). His *quintam addit* Plato, quam *exemplar* dicit, sive *ideam*; est enim, *ad quod respicens artifex, id, quod destinabat, efficit* (b). *Quinque igitur sunt ex mente Platonis causarum* ge-

(a) Epist. 66.

(b) Seneca Ibidem.

genera, nimirum, teste eodem Seneca, *id, ex quo; id, a quo;* *id, ad quod; id, propter quod; novissime id, quod ex his est.* Tamquam in statua *id, ex quo, as est; id, a quo, artifex est; id, quo,* *forma est, quæ aptatur illi; id, ad quod, exemplar est, quod imitatur is, qui facit; id, propter quod, facientis propositum est; id, quod ex istis est, ipsa statua* (a). De singulis porro hisce causis infra agemus, earumque naturam nitide explicabimus. Modo expendendum paucis est, an hac Platonica *causæ distributio* sit idonea; deinde an *idem numero effectus a pluribus causis adæquatis ejusdem generis, & ordinis simul esse possit.*

## PROPOSITIO I.

*Quinque causarum genera satis apte a Platone numerantur, scilicet materialis, formalis, efficiens, finalis, & exemplaris.*

269. *Probatur.* Tot sunt genera causarum, quot sunt ea, quæ diversa ratione influunt esse in aliud (§. 259.). Quinque autem hæc sunt. Ergo &c. *Prob. min.* etenim primo cum ex nihilo nihil prorsus naturæ viribus fieri possit, *subjectum*, sive *materia* requiritur, *ex qua præexistente*, res producatur. Quoniam vero *præexistens subjectum*, *ex quo res fit*, pluribus *essentialiter* diversis est *ex æquo commune*, opus est *forma*, scilicet principio determinativo, *per quod res ipsa in certa entis specie statuatur*. Neque enim, inquit Seneca, *statua ista Doriphorus, aut Diadumenos vocaretur, nisi hæc illi esset impressa facies* (b). Extrinseco quoque agente est opus, *a quo res fiat*. Ut enim nihil ex nihilo oriri potest, ita nihil, natura sua contingens, potest existere, quin ab alio producatur, sive quin existentiam ab alio recipiat (§. 148.). Porro cum certa res sit, nihil temere, vel fortuito fieri, aliquid admittendum necessario itidem est, *propter quod ab agente fiat, quod ab illo efficitur*. Quoniam demum agens ratione prædictum nihil molitur extra, nisi *exemplar habeat, quod imitetur; aliqua etiam in ipso exemplari adest ratio, cur externum ipsum opus existat*. Quinque igitur sunt, quæ influunt, & quidem modo plane diverso, in esse alterius; ac proinde quæ sunt hujusmodi, ut *ratio causæ illis merito optimoque jure conveniat, adeoque &c.*

*Phil. Ment. T. II.*

E 3

PRO-

(a) Epist. 66.

(b) Ibidem.

## PROPOSITIO II.

*Fieri minime posse videtur, ut idem numero effectus habeat simul esse a pluribus causis adæquatis ejusdem generis, & ordinis.*

270. *Probatur.* Non potest idem numero effectus habere simul esse a duabus causis adæquatis ejusdem generis, & ordinis, quin earum una simul sit, & non sit causa ipsius effectus. Id autem aperte repugnat (§. 128.). Ergo &c. *Prob. seq. majoris.* Cum enim causa rationem contineat, cur sit effectus (§. 259.), illud non est alterius causa, quo sublato, adhuc effectus ipse perfectissime existit. Una autem illarum causarum sublata, perfectissime adhuc existit effectus (§. 264.); cum, quæ illius remanet causa, posita sit adæquata. Igitur illa non habet rationem *causæ*. Simul autem est causa per hypothesim. Ergo &c.

*Confirmatur.* Nam si idem numero effectus posset simul esse a pluribus causis adæquatis ejusdem generis, & ordinis effectus ipse ab una illarum simul perfectissime in essendo dependeret, & non dependeret. Dependeret enim, cum illa posita sit causa ipsius effectus adæquata. Non dependeret vero; quia nihil profecto ab eo quoad suum esse dependet, quo sublato non minus quam illo posito, perfecte existit. Ergo &c.

*Objecta diluuntur.*

Posteriori huic propositioni opponitur primo. Non repugnat, ut plura corpora simul sint in eodem loco; ac proinde ut idem locus simul a pluribus repleatur. Ergo neque, ut idem effectus a pluribus adæquatis causis suum simul esse recipiat. Repletio siquidem loci spectari optime potest, veluti effectus corporis locum occupantis.

*R. disting. atts:* non repugnat, ut plura corpora simul sint in eodem loco, ipsumque singula simul repleant, *nega ahs*; ut sint in eodem loco, quin tamen simul a singulis locus ipse repleatur, *concedo ahs*, & *nego conseq.* Concedo, itaque, evidentem in eo non esse repugnantiam, ut plura corpora simul sint in eodem loco. Verum contendeo, fieri tunc nequaquam posse, ut singula locum ipsum repleant. Locum quippe repleri a corpore, perinde est, ac locum ipsum ea ratione a corpore occupari, ut aliud quocunque corpus ab eo excludat. Illud ergo dumtaxat corpus locum replet, quod in illo impenetrabiliter existit; Quamobrem, dum in eodem loco plura simul sunt

sunt corpora, a nullo eorum locus ipse repletur, sed divina virtute ita sunt in loco, ut naturalis effectus positionis corporis in loco, scilicet loci repletio, penitus prohibetur. Inter dimensionem, & dimensionem, inquit Doctor Subtilis, non est repugnantia formalis, quia talis non est, nisi quoad idem subjectum; non autem sunt in eodem subjecto; nec formaliter etiam, quia quanta non repugnant formaliter. Si ergo sunt repugnantia, hoc non est, nisi respectu loci, ex eo scilicet, quo locus est spatum capax corporis. Sed unum corpus replet locum unum, quantum natus est repleri. Ergo aliud corpus quoad hoc opponitur sibi, quia non potest habere effectum illum in illo loco..... Est ergo tantum oppositio virtualis, inquantum effectus unius causæ, qui est repletio loci, eo modo quo quantitas habet efficaciam, vel efficientiam respectu effectus; qui est esse in loco replete, opponitur alteri causa naturali: ergo non repugnat corpori esse cum alio corpore, nisi quia est repletivum loci naturaliter, quantum aptus natus est impleri; sed quia jam repletum est, non potest ibi esse, quia non est cum effectu suo, qui naturaliter sequitur esse corporis in loco. Hoc autem non impedit, quin per potentiam divinam possit ibi esse; quia Deus potest facere causam naturalem sine suo effectu, sicut calorem potest facere sine calefactione, ut patet in illis tribus pueris ex Daniele (a).

Opponitur 2. Potest idem corpus simul esse in pluribus locis. Ergo etiam idem effectus simul a pluribus causis adæquatis.

R. neg. conseq. Corpus enim non dependet a loco, sicuti effectus essentialiter dependet a sua causa.

Opponitur 3. Si plures Sacerdotes super eandem hostiam simul consecrationis verba proferrant, eorum quilibet eam adæquate consecraret; ac proinde esset causa adæquata ejusdem effectus. Ergo &c.

R. disting. ahs: eorum quilibet hostiam consecraret, hoc est, signum poneret, quod ex divino pacto consequitur transubstantatio concedo ahs: hoc est, eorum quilibet transubstantiationem efficeret, neg. ahs, & conseq. Cum enim verba consecrationis non sint nisi signum, quo posito, Deus ipse transubstantiationem efficit, una tantum est illius causa; ac proinde non sequitur, eundem effectum a pluribus causis dependere. Deo porto perinde omnino est, sive ab uno, sive a pluribus simul, consecrationis verba proferantur. Neque ab hisce verbis ita determinatur Deus, ut si ad Deum referantur, rationem causæ habere possint.

(a) IV. Sentent. Distin. 49. q. 16.  
§. Ad primum argumentum.

## SECTIO SECUNDA.

*De causa efficiente.*

271. **A**cturi de *causis* in particulari, ab *efficiente* initium sumimus. Hujusmodi quippe ipsa est, ut principem inter omnes locum teneat, eaque sola simpliciter, & absque addito, *causa* dicitur. Itaque

## DEFINITIO I.

272. *Causa efficiens* dicitur illa, que *id efficit*, cuius est *causa* (a), seu quæ, ita agit, ut *ipsius actio sit ratio*, cur aliud in rerum natura existat. Sic pater est *causa efficiens* filii; cum ab illius actione existentiam filius ipse recipiat.

## S C H O L I O N.

273. Aristoteles *causam efficientem* definit *principium*, a quo *motus* (b), sive *a quo mutatio quævis in subjecto efficitur*. Hæc tamen definitio effectrici culibet *causæ* minime convenire viderur. Nemo siquidem est, quem lateat, creantem causam inter *efficients* jure ac merito collocari, quamvis nullum ab illa *subjectum* mutetur; nullusque idcirco motus per illius *actionem* fiat. Itaque Aristotelia *efficientis causæ* definitio creatis tantummodo agentibus competit, utpote quæ sola cum *subjecto*, ut operentur, indigeant, *principium* dici possunt, a quo *motus*, sive *mutatio* efficitur.

## CÒROLLARIUM.

274. Quoniam *actio* *efficientis causæ* est *ratio*, cur *id existat*, quod ab illa fieri dicitur, *causalitas* *hujuscæ causæ* in *illius actione posita* est (§. 262.).

## DEFINITIO II.

275. Duo porro in qualibet *causa* *efficiente* distinguenda quam accurate sunt, *potentia* scilicet *activa*, & *actio*. *Potentia activa* *causæ* *efficientis* est *illa virtus*, ratione cuius *causa ipsa valet alteri existentiam*

tri-

(a) Tullius lib. de Fato cap. 15.

(b) Lib. II. Physic. cap. 3 &amp;c T. Metaph. cap. 2.

*tribuere. Actio vero est exercitium activae potentiae, per quod effectui existentia reipsa communicatur. Agit siquidem efficiens causa, quatenus vim, qua pollet, exercet.*

## S C H O L I O N.

276. Cl. Volfius actionem definit per mutationem status, cuius ratio in subjecto est, quod statum mutat (a). Fateor, actionem creatam explicari hoc modo posse; cum certa res sit, causam creatam non posse agere, quin per suam actionem causa ipsa mutetur; certoque idem constet, rationem hujuscemutationis in ipsa causa contineri. Verum, cum queri ab aliquo possit, in quoniam hujuscemodi mutatione posita sit, seu quidnam sit illud, per quod causa ipsa, dum agit, statum mutat, videtur, actionem creature clarius per exercitium internae virtutis, quam per status mutationem, explicari.

## DEFINITIO III.

276. Dupliciter spectari solet atque sumi efficiens causa a Philosophis, nimurum in actu primo, ut ipsi ajunt, & in actu secundo. Dicitur sumi in actu primo, cum ea consideratur, quatenus precise valat alteri, quod modo non est, existentiam tribuere, seu quatenus precise potest operari. Dicitur vero sumi in actu secundo, cum ea ipsa spectatur, quatenus existentiam reipsa alteri confert, seu quatenus vim, qua pollet, exercet, suumque effectum producit. In primo enim statu causa ita nobis occurrit, ut sola virtus activa, seu potentia operandi, quae dicitur actus primus, menti cogitanti reluceat. In secundo vero causa ipsa nobis ita se prodit, ut in illa exercitium pateat virtutis, quod actus secundus ipsius causae nuncupatur.

## COROLLARIUM I.

278. Notio causa efficientis tam in actu primo, quam in actu secundo relativa est, hujusmodi scilicet, ut relationem ad effectum involvat. Concipi siquidem illa nequit, ut potens agere, nisi id simul nobis occurrat, quod potest ab illa existentiam recipere. Neque vero concipi, ut agens reipsa, nisi simul nobis id pateat, quod per illius actionem reapse existit. Hinc

Co-

(a) P. II. Ontol. §. 713.

## C O R O L L A R I U M II.

279. Sicuti per relationem distinctam non habet *causa efficiens*, ut possit agere, licet sine relatione nequeat sub hac ratione attingi; ita neque habet per relationem, ut re ipsa operetur, et si concipi haud possit, ut *actu operans*, quin ad existentem effectum referatur. Videlicet sicuti *potentia activa* non est *relatio*, sed id, ratione cuius ad effectum possibilem *efficiens* causa referri potest; ita *actio ipsa* pro mera *relatione* habenda non est, sed dicendum, eam esse id, ex quo mens fundamentalum sumit, ut cum effectu existente causam ipsam conferat.

## D E F I N I T I O IV.

280. *Terminus actionis* est id, quod ipsa *actione* efficitur. Sic filius est terminus *actionis generativæ* patris, utpote id, quod per eam fit; atque adeo quod *actionem ipsam* terminat.

## D E F I N I T I O V.

281. *Actioni* in *agente* opponitur *passio* in *termino*. Definiri idcirco potest: talis *rei mutatio*, ut per illam a non esse ad esse res ipsa transferatur. Pati quippe rem, perinde est hoc loco, ac eam produci.

## S C H O L I O N.

282. Loquendo de *passione*, quæ *creatae actioni* respondet, non infi-  
cior, describi eam posse cum *Volvio mutationem status*, cuius ratio  
continetur extra *subjectum*, quod *statum mutat* (a). Dum enim *causa effi-  
cientia* *creata operatur*, necessario per ipsam *actionem* mutatur *subje-  
ctum*, a quo *causa ipsa* in *operando* dependet.

## D E F I N I T I O VI.

283. Dividitur porro *actio* in *immanentem*, & *transeuntem*. *Im-  
manentis* vocatur *actio*, cuius terminus in ipso *agente* tamquam in *sub-  
jecto*, recipitur; *transiens* vero, cuius terminus est in *subjecto* ab ipso  
*agente* prorsus *distincto*. Sic *intellec[t]io* est *actio immanens*; *transiens*  
*calefactio*. Per *intellectionem* quippe nihil extra *mentem* intelligen-  
tem

(a) P. II. *Ontol.* §. 714.

tem efficitur. At vero plane distinctum est subjectum, quod per calefactionem mutatur.

## DEFINITIO VII.

284. *Causa efficiens* triplex est, *physica*, *metaphysica*, & *moralis*. *Causa efficiens physica* dicitur illa, qua vera & reali actione aliud a se distinctum producit. Sic pater in creatis est *causa efficiens physica* filii. Realis quippe ea actio est, per quam filius suam a patre existentiam recipit.

## DEFINITIO VIII.

285. *Causa metaphysica* est illa, qua per realem actionem id quidem non efficit, cuius causa dicitur; verum cum certa ratione hoc ab illa colligatur, atque ab ea dependeat, concipitur perinde prorsus, ac si vere & proprie ab illa produceretur. Hujuscemodi causa est rei cuiusque essentia, si cum metaphysicis ipsius rei proprietatibus conferatur. Ex eo enim, quod proprietates ipsae ab essentia proveniant, concipiuntur non secus ac si ab illa, tamquam a vera sua causa, producerentur.

## DEFINITIO IX.

286. *Moralis* demum *causa ea* est, qua licet reipsa in id non influat, cuius dicitur *causa*, attamen, prudentum judicio, perinde prorsus illa se habet, ac si reipsa in ipsum influeret. Sic, qui homicidium suadet, *moralis* illius *causa* dicitur. Quamvis enim hominem vere non interficiat, dignus tamen est, cui crimen ipsum imputetur, quique illius auctor, sive *causa* habeatur.

## DEFINITIO X.

287. Divisio altera *efficientis causæ* est in *principalem*, *instrumentalem*, & *occasionalē*. *Principalis* dicitur *causa*, qua ita influit in effectum, ut in illa vere contineatur ratio, cur effectus ipse existat. Dicitur vero *instrumentalis*, qua absolute sumta rationem non continet, cur sit effectus, sed eatenus tantum agit, quatenus a causa principali movetur, eique ad effectum producendum inservit. Sic artifex est *causa principalis* statuae; *instrumentalis* vero scalptum. *Quod* enim agit, artifex est; quo vero agit, scalptum.

DE-

## DEFINITIO XI.

288. Occasionalis causa dici ea solet, quæ causæ principali occasio-  
nem præbet, ut effectum producat, quatenus nempe illam movet, cer-  
toque modo ad effectum producendum determinat. Sic nubes puer ex-  
hibitæ, sunt illi occasionalis causa motus. Non efficiunt motum, sed  
puerum dumtaxat, ut moveatur, allicitunt.

## S C H O L I O N.

289. Dissimulandum nequaquam est divisionem efficientis causæ  
tam in physicam, metaphysicam, & moralem, quam in principalem,  
instrumentalem, & occasionalem non esse generis in species. Etenim  
neque metaphysicæ, & morali, neque instrumentalí, & occasionali  
vere convenit generica notio efficientis causæ quam initio dedimus.

## DEFINITIO XII.

290. Causa vere, & proprie efficiens, vel universalis est, sive aqui-  
voca, vel particularis, seu univoca. Universalis dicitur illa, quæ ad  
effectus diversæ prorsus naturæ producendos sese extendit. Ea vero  
particularis nuncupatur, quæ ad unum dumtaxat in specie effectum,  
& quidem ejusdem cum illa naturæ producendum determinata est.  
Hujusmodi est homo; quippe qui nonnisi hominem generare po-  
test. At vero Sol est causa universalis; cum ad eorum omnium,  
quæ in sublunari mundo fiunt, si vera sunt, quæ a Peripateticis  
traduntur, productionem concurrat.

## DEFINITIO XIII.

291. Est etiam causa efficiens vel per se, vel per accidens. Causa  
efficiens per se dicitur illa, quæ ex ipsa sua natura ad eum effectum  
producendum ordinata est, cuius causa dicitur. Causa vero efficiens  
per accidens ea est, quæ ex natura sua, sive ut talis, effectum ip-  
sum non respicit. Sic musicus, quatenus musicus, est causa per se  
cantus; per accidens vero statuæ, si qua ab eo efficitur. De ra-  
tione enim musici est, ut cantet; non autem ut statuam efformet.

DE-

## DEFINITIO XIV.

292. *Causa efficiens per se dividitur in proximam, & remotam, sive in immediatam, & mediatam.* Prior est illa, quam inter ipsumque effectum nulla alia ejusdem generis, & ordinis causa habetur, cui effectus ipse referri possit acceptus. Posterior vero ea est, inter quam, & ipsum effectum alia adest causa ejusdem generis, & ordinis, a qua ipse effectus dependet. Sic pater est causa efficiens proxima filii, remota illius avus.

## DEFINITIO XV.

293. *Causa efficiens alteri subordinata vocatur illa, quæ ita subjecta alteri est, ut in ipsa sua actione ab ea dependeat.* Sic causa quævis creata dicitur Deo subordinata. Adeo quippe a Deo in operando dependet, ut, Divino sublato concursu, nequeat quidquam moliri.

## DEFINITIO XVI.

294. *Naturaliter agere dicitur causa, quæ juxta vires sibi proprias operatur, adeo nempe ut in ipsa cause natura contineatur ratio, cur sic agat.* Dicitur vero agere supernaturaliter, cum supra vires sibi proprias quidquam molitur, seu cum ita agit, ut ratio, cur sic agat, in ipsius causa natura minime habeatur. Sic ignis naturaliter lignum comburit; supernaturaliter vero homo meritorie operatur. Tota enim ratio, cur ab igne comburatur lignum, in ipsius ignis natura est; minime vero in natura hominis, cur ita agat, ut per ipsam actionem dignus fiat, cui æterna beatitudo conferatur.

## COROLLARIUM.

295. *Perspecta debet esse natura causæ, ut nobis certo constet, num supernaturaliter, an vero naturaliter, quod efficit, ipsa efficiat.*

## DEFINITIO XVII.

296. *Sumta natura pro intrinseco earum omnium sensibilium mutationum principio, quæ constanti lege in mundo contingunt, naturalis causa vocatur illa, quæ ad hujuscemodi principium intrinsecus spectat.* Illa vero ex adverso supernaturalis nuncupatur, quæ principium

*pium hujusmodi plane trascendit. Sic angeli sunt causæ supernaturales; naturales vero sol, astra, homo, &ceteræ id genus aliæ.*

## DEFINITIO XVIII.

297. *Naturalis dicitur effectus, qui a causa naturali producitur, seu cuius sufficiens ratio in ipsa corporum natura continetur. Contra vero supernaturalis vocatur, cuius ratio sufficiens in natura corporum minime comprehenditur. Sic combustio stupræ naturalis effectus est; supernaturalis resuscitatio mortui. Illius enim datur ratio sufficiens in ipsa corporum natura. Hujus vero sufficiens ratio in natura ipsa non datur.*

## S C H O L I O N.

298. *Effectus, qui naturæ vires transcendit, & plane superat, miraculosus etiam dicitur. Dupli autem modo potest effectus miraculosus nuncupari, scilicet quoad substantiam, & quoad modum.*

## DEFINITIO XIX.

299. *Effectus miraculosus, sive supernaturalis, quoad substantiam dicitur ille, qui in se, sive absolute spectatus, non habet sufficientem rationem suæ existentia in corporum natura. Ille vero dicitur miraculosus, seu supernaturalis tantum quoad modum, qui non habet in natura rationem sufficientem modi, quo ipse efficitur, et si absolute sumptus, vires natura nequaquam excedat. Sic resuscitatio mortui est effectus miraculosus quoad substantiam; quia absolute sumta, est hujusmodi, ut sufficiens in natura non detur ratio suæ existentia. Contra vero instantanea recuperatio sanitatis, quæ intra certum temporis spatium obtineri potest viribus naturæ, non est effectus miraculosus, nisi quoad modum. Etenim non nisi modi, quo ipsa fit sufficiens deest ratio in natura.*

## DEFINITIO XX.

300. *Demum necessaria dicitur causa, qua natura sua ad operandum adeo determinata est, ut, positis omnibus, quibus ad agendum est opus, ipsa non operari nequaquam possit. Sic ignis est causa necessaria combustionis; nam, posita appropinquatione illius ad stupram, nequit stupram non comburere.*

SCHO-

## S C H O L I O N.

301. **Causa ad agendum**, positis omnibus ad actionem prae-requisitis, per suam naturam determinata, solet etiam *naturalis* nuncupari. Huic opponitur *causa libera*, de qua, cum de animæ potentiis res nobis erit, opportunius agemus.

## P R O P O S I T I O I.

*Quod nihil est re ipsa, nequit esse efficiens alicujus causa.*

302. *Probatur.* Etenim nulla re ipsa habetur actio, si nulla re ipsa detur virtus. Nulla autem re ipsa est virtus; si nullam re ipsa sit agens, quod illa praeditum sit. Ergo, si re ipsa nullum sit agens, nulla erit actio; ac proinde nullus effectus.

## C O R O L L A R I U M.

303. Itaque nulla res, nullaque rei existentis perfectio potest esse a nihilo, ut a causa efficiente.

## S C H O L I O N.

304. Hæc propositio, una cum iis, quæ sequuntur, eximiis in universa Philosophia sunt usus. Recenserit autem solent inter axomiata, & quidem non immerito. Etenim nonnisi levi consideratione opus est, ut earum veritas percipiatur.

## P R O P O S I T I O II.

*Nullus effectus potest suam adæquatam efficientem causam perfectione superare.*

305. *Probatur.* Cum enim, si secus, aliquid haberetur in effectu, cuius existentiae sufficiens non esset ratio in causa, ipsa causa simul esset adæquata, & inadæquata. Esset quippe adæquata ex facta hypothesi. Non esset vero; cum non omnium eorum, quæ sunt in effectu, rationem sufficientem causa ipsa contineret. Repugnat autem, ut causa sit simul adæquata, & inadæquata, si penes eundem effectum consideretur (§. 128.). Ergo nullus effectus potest suam adæquatam efficientem causam perfectione superare.

Co-

## C O R O L L A R I U M .

306. *Omnis ergo perfectio effectus debet formaliter, vel eminenter in adequata illius causa contineri.*

## S C H O L I O N .

307. Dicitur contineri in alio *formaliter*, quod secundum propriam entitatem in illa comprehenditur. Dicitur vero contineri *eminenter*, quod non est in alio, nisi quatenus illud, in quo dicitur contineri, est ipso perfectius. Sic homo albus *formaliter* albedinem continet. At vero aurum non nisi *eminenter* argentum comprehendit. Albedo enim est in homine quoad suam entitatem, adeoque secundum propriam rationem *formalem*. Contra vero argentum non est in auro, nisi quatenus hujus perfectio perfectionem illius superat.

## P R O P O S I T I O III.

*Non minor requiritur virtus in causa ad rem conservandam, quam ad eam primo producendam.*

308. *Probatur.* Rei siquidem conservatio est ejusdem quædam veluti continuata productio.

## P R O P O S I T I O IV.

*Causa necessaria semper agit, quantum potest.*

309. *Probatur.* Cum enim causa necessaria ex ipsa sua natura determinata adeo sit ad operandum, ut, omnibus positis ad actionem prærequisitis, nequeat otiosa consistere (§. 300.), manifeste apparet, nullum gradum virtutis activæ posse in hujusmodi causa, dum ipsa operatur, inoperatum manere. Potior namque non est ratio de uno, quam de ceteris omnibus, atque adeo de tota ipsa virtute, qua causa pollet. Ergo causa necessaria agit, quantum potest, seu secundum omnes suæ potentiaæ gradus semper operatur.

## C O R O L L A R I U M I.

310. *Causa necessaria ad agendum expedita producit semper effectum sibi aequalem, scilicet hujusmodi, ut ipsius causæ virtutem prorsus adæquet.*

id enim ex eo ad evidentiam sequitur, quod in hac causa nullus, dum operatur, activæ potentiae gradus otiosus consistat. Hinc

## C O R O L L A R I U M II.

311. *Causa necessaria, ad agendum expedita, æquales effectus temporibus aequalibus producit.* Posita namque temporum æqualitate, factaque hypothesi, ut ipsa causa secundum ultimum potentiae suæ singulis momentis operetur, nulla est ratio, cur alter eorum effec-  
tuum debeat alterum perfectione superare.

## C O R O L L A R I U M III.

312. *Contra vero inæquales sunt pro ratione temporum effectus illi, qui a causa necessaria ad agendum expedita temporibus inæqualibus producuntur.* Enimvero, si secus, causa ipsa inæqualiter singulis momentis ageret; ac proinde vel non esset semper sibi met eadem, vel secundum ultimum suæ potentiae non semper operaretur.

## C O R O L L A R I U M IV.

313. *Si duæ causæ necessariae, atque ad agendum expeditæ, æquales fuerint inter se, earum effectus erunt directe, ut tempora.* Æquales nimirum erunt effectus, qui temporibus aequalibus ab illis fiunt; erunt vero inæquales, & quidem pro ratione temporum, qui temporibus inæqualibus producuntur. Etenim, si æquales sunt causæ, perinde se habent effectus, ac si ab eadem causa producerentur.

## C O R O L L A R I U M V.

314. *Si duæ causæ necessariae, atque ad agendum expeditæ, fuerint inæquales inter se, effectus, qui temporibus aequalibus ab illis producuntur, erunt directe, ut ipsæ causæ.* Illorum enim quilibet vim suæ causæ plane adæquat (§. 310.).

## C O R O L L A R I U M VI.

315. *Si duæ causæ necessariae, atque ad agendum expeditæ, fuerint inæquales inter se, agantque temporibus inæqualibus, earum effectus erunt directe inter se in ratione composita ex ratione ipsarum causarum, seu Phil. Ment. T. II.*

*virium, quibus agunt, & ex ratione temporum, quibus operantur.* Ut si virtus causæ A fuerit  $= 3$ , & virtus causæ B  $= 4$ , fueritque tempus, quo operatur causa A  $= 5$ , & tempus, quo agit causa B  $= 2$ , effectus productus a causa A erit ad effectum productum a causa B, ut 15 ad 8. Certum siquidem est, pro determinando valore horum effectuum, habendam esse rationem tum virium, quibus agunt ipsæ causæ (§. 314.), tum temporum, quibus operantur (§. 313.).

Ex Mathesi autem constat, rationem — esse compositam ex rationibus  $\frac{3}{4}$   $\frac{5}{2}$   $\frac{8}{15}$ , — inter se multiplicatis. Ergo effectus, qui a causis A, B illis temporibus producuntur, erunt directe inter se, ut 15 ad 8; & universaliter si virtus causæ A ponatur  $= a$ , & tempus  $= x$ , virtus causa B  $= b$ , & tempus  $= y$ , effectus causæ A erit ad effectum causæ B, ut  $ax$  ad  $by$ .

### PROPOSITIO V.

*Quod est causa causa, est etiam causa causati.*

316. Nimis si A fuerit causa effectus B, ex quo effectus alter C originem trahat, erit C effectus etiam causæ A. Cum enim ex facta hypothesi ratio in A contineatur, cur existat B, & in B sit ratio, cur C existat (§. 272.), etiam in A erit ratio, cur habeatur C. Ergo A veram habebit rationem causa respectu effectus C, non quidem immediate, sed mediate (§. 292.); adeoque &c.

### SECTIO TERTIA.

*De causa finali.*

317. Post efficientem, *finalis causa* expendenda est, ejusque natura, quantum ad Metaphysicum attinet, investiganda. Nulla siquidem est causa efficiens, quæ agat quidquam, quin finis adsit, propter quem operetur, suumque effectum producat. Observandum itaque est, *finem in intrinsecum, & extrinsecum,* seu in *finem operis, & in finem operantis* satis apte distinguiri.

### DEFINITIO I.

318. *Finis intrinsecus, sive operis, dicitur id, in quod ipsa sua natura*

*tura opus dirigitur. Sic quies in terræ centro est finis intrinsecus corporis gravis deorsum ruentis. Eo enim respicit motus corporis gravis deorsum ruentis, ut in centro terræ quiescat.*

### D E F I N I T I O II.

319. *Finis vero extrinsecus, seu operantis id est, propter quod agens operatur, sive ut ait S. Augustinus, propter quod facimus, quidquid facimus (a). Sic lucrum est finis medici pharmacum ægro præscribentis, si propter lucrum medicinam ipsam ægro exhibeat. Quid est propositum? quod, inquit Seneca, invitavit artificem, quod ille secutus fecit. Vel pecunia est hoc, si venditus fabricavit; vel gloria, si laboravit in nomen; vel religio, si donum templo paravit (b).*

### C O R O L L A R I U M I.

320. *Movetur ergo efficiens causa a fine, ab eoque ad agendum veluti determinatur. Neque enim propter aliquid operari potest efficiens causa, nisi ab illo ad agendum moveatur quodammodo, ac veluti determinetur.*

### C O R O L L A R I U M II.

321. *Quoniam res quævis creata eo tendit natura sua, quo in ipsa Mundi constitutione sapientissime a Deo directa est, finis intrinsecus creaturarum est ille, quem Deus rebus ipsis initio constituit. Finis vero earundem extrinsecus is est, ad quem res ipsæ liberae a nobis diriguntur. Hinc*

### C O R O L L A R I U M III.

322. *Potest optime finis rerum extrinsecus cum fine earundem intrinseco coincidere, si nimirum, quo a Deo res ipsæ ordinatæ sunt, eo itidem a nobis dirigantur.*

### D E F I N I T I O III.

323. *Finis extrinsecus dividitur primo in primarium, & secundarium, tum in proximum, remotum, & ultimum. Finis primarius vocatur ille, quem agens adeo respicit, ut, omni alio sublatu, adhuc propter ip-*

F 2.

sum

(a) Lib. II. de morib. Eccl. n. 27, alias cap. 13.

(b) Epist. 66.

sum operaretur. Secundarius vero ille dicitur, quem non adeo respicit agens, ut, si esset solus, adhuc id, quod facit, efficeret. Ut si quis naturalis Philosophiae studio navaret operam tum propter delectationem, quam inde capit, tum propter utilitatem, quæ hinc derivatur, hoc tamen discrimine, ut hujuscemodi studio minime incumberet, si sola haberetur utilitas, bene vero, si sola delectatio, hæc esset finis illius primarius; illa vero secundarius.

#### DEFINITIO IV.

324. *Finis proximus* is est, quem agens immediate respicit; *remotus*, in quem tendit mediate; *ultimus* vero, quo, ut ait Tullius, *omnia*, quæ recte sunt, referuntur, neque id ipsum unquam refertur (a). Sic Deus est *ultimus* rerum omnium *finis*. In Deum quippe tendunt omnia, quin Deus ipse referri ad aliud possit. Qui vero sua in pauperes erogat bona, ut, eos a miseriis sublevando, ipse a Deo misericordiam consequatur, levamen pauperum *finis* illi *proximus* est, *remotus* misericordiae consequutio.

#### DEFINITIO V.

325. *Medium* vocari id solet, quo agens finem consequitur. Sic quoniam per opera bona beatitudinem obtinet homo, beatitudo *finis* est, *opera medium*.

#### PROPOSITIO I.

*Finis veram habet rationem causæ.*

326. *Probatūr.* Cum enim *finis* causam efficientem ad operandum moveat, ac veluti determinet (§. 320.), rationem continet *finis*, cur causa ipsa operetur, atque adeo cur habeatur id, quod ab illa fieri dicitur. Ergo habet *finis* veram rationem causæ (§. 259.). *An enim non putas*, inquit Seneca, *inter causas facti operis numerandum, quo remoto, factum non esset* (b)?

#### COROLLARIUM.

327. *Finalis igitur causa est id, propter quod causa efficiens operatur, sumque effectum producit.*

PRO-

(a) Lib. II. de Finibus cap. 2.

(b) Epist. 66.

## PROPOSITIO II.

*Id, ratione cuius finis movet causam efficientem ad operandum; est bonitas ipsius finis.*

328. *Probatur.* Etenim nullum agens operatur, ut quidquam obtineat, nisi quia illud sibi bonum est, seu conveniens. Ergo bonitas finis est id, ratione cuius causa efficiens ad operandum movetur a fine, ab eoque determinatur.

## COROLLARIUM.

329. *Finis ergo, & bonum convertuntur.* Quamobrem, sicut bonum, ita finis triplex est, honestus, utilis, & delectabilis. Honestus dicitur finis, si regulis rectae rationis consentiat; utilis, si ad aliquod commodum consequendum usui esse possit; delectabilis, si appetitum rationalem, vel sensitivum delectatione perfundat. Sic virtus finis honestus est; utilis misericordia in pauperes; delectabilis rerum pulcherrimarum contemplatio.

## PROPOSITIO III.

*Finis habere reipsa non potest rationem causæ, nisi fuerit cognitus.*

330. *Probatur.* Cum enim, quod nullo modo est, nihil praestare possit, debet finis aliquo modo existere, ut habeat reipsa rationem causæ. Re autem nequit existere eo modo, quo est finis; alioquin non operaretur causa, ut illud obtineret. Ergo existere debet intentionaliter, nempe, in cognitione.

## SCHOOLION.

331. *Cognitio non requiritur, nisi tamquam conditio, sine qua non. Opus enim cognitione non est, nisi ut potentiae, quam movet, debite præsens finis existat.*

## COROLLARIUM I.

332. *Manifestum hinc efficitur, nonnisi agens rationis particeps operari posse propter finem; ac proinde Deo dumtaxat, angelis, atque hominibus hujuscemodi operandi modum convenire.*

*Phil. Ment. T. II.*

F 3

SCHO-

## S C H O L I O N.

333. Non inficior tamen, etiam agentia rationis expertia operari posse propter finem, non quidem ab ipsis, sed ab eo, a quo diriguntur, intentum.

## C O R O L L A R I U M II.

334. Quoniam errare in rebus cognoscendis adeo possumus, ut bonum nobis videri queat, quod re ipsa malum est, etiam malum habere potest rationem finis non quidem prout malum, sed quatenus sub boni specie nobis appetit.

## P R O P O S I T I O IV.

*Qui vult finem, velit quoque media ad finem, necesse est.*

335. *Probatur.* Enimvero, cum fieri nequeat, ut agens, neglegat mediis, finem consequatur (§. 325.), velle agens non potest finem, quin ea itidem media velit, quae ad illum consequendum necessario inserviunt.

## S E C T I O Q U A R T A.

*De causis materiali, & formali.*

336. **C**ausas materialem, & formalem hic una complectimur, quod earum una sine altera recte intelligi, perfecteque comprehendendi minime possit. Itaque, ut a materiali ordiamur, observandum est, triplicem materiam vulgo distingui, scilicet *ex qua*, *in qua*, & *circa quam*.

## D E F I N I T I O I.

337. *Materia ex qua* dicitur id, *ex quo praexistent*e, tamquam ex parte determinabili, totum aliquod, sive compositum, intrinsecus constituitur. Sic lignum est *materia ex qua statua*. Ex ligno namque praexistenti, tamquam ex parte determinabili, statua efficitur.

## D E F I N I T I O II.

338. *Materia in qua* id omne vocatur, quod ita recipit aliud a se dividit.

*distinguuntur, ut per illud perficiatur, atque ad certum compositi genus determinetur. Sic corpus organicum est materia in qua, si ad animum referatur. Corpus quippe recipit animam, per quam in linea viventis constituitur.*

### C O R O L L A R I U M .

339. Hinc *materia in qua* idem prorsus est, ac *subjectum* (§. 152.).

### D E F I N I T I O III.

340. *Materia circa quam* vocari id omne solet, *circa quod versatur activa potentia*, cum aliquid efficit. Sic lignum est *materia*, *circa quam* versatur faber lignarius, cum statuam, vel aliud quocunque opus ex illo efformat.

### C O R O L L A R I U M I.

341. Eadem itaque res, si penes diversa consideretur, potest simul habere rationem *materiae ex qua*, *in qua*, & *circa quam*. Constat enim, lignum esse *materiam*, *ex qua* sit *statua*, *in qua* sit figura, & *circa quam* faber lignarius occupatur. Hinc

### C O R O L L A R I U M II.

342. *Divisio materiae in materiam ex qua, in qua, & circa quam* non est divisio generis in species, sed rei ejusdem penes diversa consideratae. Dicitur namque *materia ex qua*, si referatur ad totum, quod ex illa fit (§. 337.). Dicitur *materia in qua*, si cum ea, quam recipit, entitate comparetur (§. 338.). Dicitur vero *materia circa quam*, quantum ad eam quae *circa illam* versatur, potentiam refertur (§. 340.).

### D E F I N I T I O IV.

343. Nomine *formæ* generatim sumtæ venit id omne, quod ex ratione in *subjecto* recipitur, ut ipsum determinet, certo modo perficiat. Sic anima dicitur *forma corporis*, quemadmodum etiam ligni figura. Anima enim recipitur in corpore, & figura in ligno; idque a figura, & corpus ab anima perficitur, eaque ratione determinatur, ut unum in specie *ens* inde consurgat.

## C O R O L L A R I U M I.

344. Dependet ergo *subjectum a forma*, quam recipit, tanquam determinabile a suo determinativo. Hinc

## C O R O L L A R I U M II.

345. Cum *materia in qua idem sit, ac subjectum* (§. 339.), *materia in qua hoc itidem modo dependet a forma*, scilicet ut determinabile a suo determinativo.

## C O R O L L A R I U M III.

346. Compositum quoque ex *subjecto, & forma constitutum*, habet ab ipsa *forma*, ut sit *tale in specie*, sive ut a ceteris omnibus essentia-  
liter distinguatur. Sic ab anima rationali, ex qua tamquam ex *forma*, & ex corpore, ut ex *subjecto*, constituitur homo, totum oritur di-  
scrimen, quod hominem inter, & cetera viventia corporea deprehen-  
ditur. Hinc

## C O R O L L A R I U M IV.

347. Compositum, quod fit ex *subjecto, & forma*, dependet ab ip-  
sa *forma*, tamquam ab eo, per quod *in specie* est id, quod est.

## D E F I N I T I O V.

348. Duplex porro est *forma*, *substantialis, & accidentalis*. *Sub-  
stantialis* dicitur illa, quæ cum *subjecto*, cui advenit, unum per se con-  
stituit. Illa vero *accidentalis* nuncupatur, quæ cum ipso *subjecto* consti-  
tuit unum per accidens. Sicut anima rationalis *forma substantialis* est; ac-  
cidentalis rotunditas, quæ ligno advenit. Est enim *unum per se*, quod  
ex anima rationali, & corpore constituitur, scilicet homo. Quod ve-  
ro fit ex ligno, & rotunditate, non est *unum*, nisi per accidens (§. 40.).

## C O R O L L A R I U M .

349. Ut ergo *forma* sit *substantialis* hoc sensu, opus nequaquam  
est, ut illa quoad suam entitatem sit *substantia*, nisi prius ostendatur,  
*ex subjecto, & accidente fieri unum per se* minime posse.

DE-

## DEFINITIO VI.

350. *Forma educi de potentia materiae, sive subjecti, nihil est aliud, quam eam ita fieri, ut necessario, saltem naturae viribus, opus sit subiecto in quo illa producatur, & conservetur. Sic rotunditas, cum in ligno sit, dicitur ex subjectiva ligni potentia educi. Necessario quippe requiritur lignum, in quo rotunditas ipsa recipiatur, in eoque consistat.*

## COROLLARIUM I.

351. *Igitur forma, qua de potentia subjecti educitur, necessario ab illo dependet in fieri, esse, & conservari.*

## COROLLARIUM II.

352. *Quoniam dependere a subiecto in fieri, esse, & conservari, perinde est, ac ipsam formam, qua hoc modo a subiecto dependet, illi inhærere (§. 160.), ea dumtaxat forma educitur de potentia subjecti, qua ejus est naturae, ut subiecto inhæreat. Quamobrem,*

## COROLLARIUM III.

353. *Sumta substantia pro ente per se existente, nulla forma, qua hoc sensu sit substantia, potest de potentia subjecti educi, sed ea tantum, qua est accidens physicum. Etenim huic tantum modo competit subiecto inhærere (§. 180.).*

## COROLLARIUM IV.

354. *Triplex postremo potentia in materia distinguenda est, una scilicet compositionis, informationis altera, postrema eductio-  
nis. Materia quippe est in potentia ad compositum, quod ex illa præexistente constituitur; ad formam, quam recipit; & ad for-  
mam, qua ex illa educitur. Cum enim non omnis forma edu-  
catur ex materia, alia, est potentia in materia, ratione cuius perficitur a forma; alia, ratione cuius forma ex illa educitur.*

PRO-

## PROPOSITIO I.

*Materia habet veram rationem causæ intrinsecæ respectu compositi, quod ex illa efficitur.*

355. *Probatur.* Cum enim ex materia, tamquam ex parte determinabili, essentialiter constituatur compositum; ipsumque compositum sit aliud re ipsa ab ipsa materia, ex qua intrinsecus constituitur (§. 337.), materia influit esse in compositum, quemadmodum ratio causæ intrinsecæ requirit (§. 267.). Ergo materia est vera causa intrinseca compositi, quod ex illa efficitur.

## COROLLARIUM.

356. *Causa igitur materialis compositi est id, ex quo præexistente compositum ipsum ea ratione constituitur, ut in illo habeat rationem partis essentialis, sed potentialis, sive determinabilis.*

## PROPOSITIO II.

*Materia habet veram rationem causæ respectu formæ, quæ ex illa educitur.*

357. *Probatur.* Forma, quæ ex materia educitur, adeo ab illa dependet, ut neque fieri, neque esse possit, quin sit in materia, in eaque producatur (§. 350.). Aliqua ergo continetur ratio in materia, cur existat forma, quæ ex illa educitur. Ergo respectu hujuscemodi formæ veram habet materia rationem causæ (§. 259.).

## COROLLARIUM I.

358. Itaque datur materialis causa formæ, eaque nihil est aliud, nisi subjectum, ex quo præexistente ipsa forma educitur.

## SCHOOLIO.

359. Verum quoniam non omnis forma educitur ex potentia materiae (§. 353.) non omnis forma dependet in existendo a causa materiali, sed ea tantum, quæ ita materiam afficit, ut illi inhæreat.  
Co-

## C O R O L L A R I U M . II.

360. Cum materia sit *intrinseca* composito, quod constituit, & *extrinseca* formæ, quæ ex illa educitur, habeatque materia rationem *causæ* tum respectu *compositi*, tum respectu hujuscæ formæ, duplex *causa* materialis distinguenda est, *intrinseca*, & *extrinseca*. Ratio *causæ* materialis *intrinseca* stat in materia, cum ad *compositum* ex illa constitutum refertur. In ea vero stat ratio *causæ* materialis *intrinseca*, cum formæ, quæ ex illa educitur, eadem ipsa materia comparatur.

## P R O P O S I T I O . III.

*Forma* est vere *causa* *intrinseca* *compositi*, quod cum materia essentialiter constituit.

361. Probatur. Compositum est aliud re ipsa a forma, ex qua fit (§. 237.), ipsaque forma ita insluit esse in ipsum compositum, ut illud essentialiter constituat, & quidem taliter, ut ratio, cur compositum sit tale *ens* in specie, in ipsa *forma* contineatur (§. 346.). Ergo *forma* habet respectu *compositi* veram rationem *causæ* *intrinseca* (§. 267.).

## C O R O L L A R I U M .

362. Formalis ergo *causa* *compositi* est id, per quod ipsum compositum est tale *ens* in specie.

## P R O P O S I T I O . IV.

*Forma* veram habet rationem *causæ* etiam respectu *materiae*, in qua recipitur.

363. Probatur. Etenim, cum per *formam* potentialitas *materiae* determinetur (§. 346.), rationem continet *forma*, cur *materia* in una certa entis specie existat. Ergo etiam respectu *materiae* habet *forma* veram rationem *causæ* (§. 259.).

## C O R O L L A R I U M . I.

364. Hinc datur *causa formalis* etiam respectu *materiae*, sive *subjecti*; eaque nihil est aliud, quam id, per quod potentialitas *ipsius subjecti* determinatur.

Co-

## C O R O L L A R I U M II.

365. Duplex propterea est *causa formalis*, nimirum *intrinseca*; & *extrinseca*. *Causa formalis intrinseca* dicitur *forma*, si spectetur, quatenus tale in specie compositum *essentialiter* constituit. *Causa vero formalis extrinseca* ea ipsa *forma* vocatur, quatenus *potentialitatem materiae* definit, in qua recipitur.

## C O R O L L A R I U M III.

366. Porro cum *forma*, quæ ex *materia* educitur, ipsius simul *materiae potentialitatem* determinet, *mutua inter materiam, & formam ex illaeductam datur causalitas*. Quamobrem

## C O R O L L A R I U M IV.

367. *Mutua causalitas in diverso genere causa haudquaquam repugnat.*

## P R O P O S I T I O V.

*Materia, & forma simul sumtæ, & unitæ non habent rationem causalitatis respectu compositi.*

368. Probatur. *Materia & forma simul sumtæ, & unitæ, sunt illud ipsum compositum, quod fieri ex illis dicitur (§. 235.). Ergo, si sumantur hoc modo, non habent rationem causalitatis respectu compositi. De ratione namque causalitatis est, ut sit aliud re ipsa ab eo, cuius dicitur causa (§. 259.).*

## S C H O L I O N.

369. Dissimulare non possum hoc loco; realem distinctionem compositi a *materia*, & *forma* simul sumtis, & unitis, pro qua, tamquam pro aris & focis, pugnant nonnulli, illegitime prorsus, nisi mea fallat opinio, ex eo ab illis colligi, quod *materia*, & *forma* sumtæ hoc modo, sint vere causa compositi. Cum enim sit de *intrinseca* ratione causalitatis, ut ab eo, cuius *causa* dicitur, realiter distinguatur, haud recte profecto *materia*, & *forma* simul sumtæ, & unitæ veram respectu compositi habere dicuntur rationem causalitatis, nisi primo manifestum fiat, *materiam, & formam* hoc modo sumtas, a

com-

composito, quod ex illis efficitur, re ipsa distingui. Nequit ergo realis distinctio compositi a materia, & forma simul sumtis & unitis ex eo deduci, quod materia, & forma etiam sumtæ hoc modo, sint vere causa ipsius compositi, quin principium aperte petatur.

## S E C T I O Q U I N T A.

### *De causa exemplari.*

#### D E F I N I T I O I.

370. **E**xemplaris nomine intelligitur id, quod respicit agens, dum operatur, ut ad illius similitudinem suum efficiat opus, atque perficiat. Sic imago Cæsaris in pictoris imaginatione existens, exemplar est illius picturæ, quam pictor ipse ad illius formam effigit. Dividitur porro exemplar in internum, & externum.

#### D E F I N I T I O II.

371. Exemplar internum est idea rei facienda in artificis mente posita, sive etiam ipsius rei simulacrum ab artificis imaginatione effatum. Externum vero est res foris existens, quam agens, dum operatur, attendit. Ut enim præclare more suo advertit Seneca, nihil ad rem pertinet, utrum foris habeat exemplar, ad quod referat oculos; an intus, quod ibi ipse concepit, & posuit (a).

#### C O R O L L A R I U M.

372. Dirigitur ergo agens ab exemplari, quod respicit, dum operatur, ut opus illi simile sua operatione efficiat. Neque enim agens potest exemplar imitari, nisi sua in operatione ab illo certa quadam ratione dirigatur.

#### P R O P O S I T I O U N I C A.

*Exemplar veram habet rationem cause.*

373. *Probatur.* Enimvero, cum agens sua in operatione ab exemplari dirigatur (§. 372.), rationem aliquo modo continet exemplar, cur id habeatur, quod ab agente efficitur. Ergo veram & ipsum habet

(a) Epist. 66.

habet respectu operis, quod fit ab agente, rationem *causæ* (§. 259.).

*Confirmatur.* Finis inter causas numeratur, quia ab illo moveatur agens, determinaturque ad operandum (§. 326.). Ergo etiam *exemplar* recensendum est inter causas, quia agens sua in operatione ab illo dirigitur. Non enim videtur major ratio de eo, quod agens ad operandum movet, quam de eo, a quo, ut recte suum perficiat opus, agens ipsum dirigitur.

### C O R O L L A R I U M .

374. *Exemplaris itaque causa est id, ad quod, ut ait Seneca, respiciens artifex, id, quod destinabat, efficit* (a).

(a) Epist. 66.



ME-



# METAPHYSICES PARS SECUNDA. *PSYCHOLOGIA* sive *DE MENTE HUMANA.*



*Ntologia absoluta, Psychologiam aggredimur, eam scilicet Metaphysicæ partem, in qua prope divina illius substantiæ, per quam homo est homo, natura inquiritur, mira vis ostenditur, & immortalitas demonstratur. Non est idcirco, cur longo sermone palam a me fiat, quanta hujuscce partis utilitas sit atque præstantia. Satis hac de re me dixisse arbitror, si id unum dixerò, rationalem esse animam, quam *Psychologia* contemplatur. Nihil enim potentius ista creatura, quæ mens dicitur rationalis, inquit S. Augustinus, nihil hac creatura, sublimius: quidquid supra istam est, jam Creator est (a). In tres itaque Dissertationes alteram hanc Metaphysicæ partem dividemus. Prima erit de natura mentis humanæ, ejusque origine. Secunda de mirabili commercio, quod inter ipsam mentem atque corpus est. Postrema de ejusdem mentis potentiis, intellectu scilicet, memoria, & voluntate.*

DIS.

(a) Tract. XXIII. in *Joannem* num. 6.

## DISSERTATIO I.

De natura mentis humanæ, ejusque origine.

**T**Ria in hac Dissertatione expendemus, nimirum primo : *an mens humana sit substantia spiritualis, num vero corporea.* Secundo: *utrum sit immortalis, an vero in morte una cum corpore pereat.* Postremo: *qua sit illius origo.*

## SECTIO PRIMA.

*Expenditur, an humana mens sit substantia spiritualis,  
num vero corporea.*

1. **Q**uamvis fatear ingenuam, abstrusam adeo esse humanæ mentis naturam, tamque profuadam illius rationem, ut recte dixerit olim Heraclitus apud Laertium (a), nunquam illam reperiri posse, quantalibet quis via spatio conficiat; non propterea ab illius investigatione desistendum puto, ejusque considerationem non idcirco relinquendam. *Est enim illud quidem maximum*, inquit Tulanimo ipso animum videre: & nimirum hanc habet vim præceptum Apollinis, quo monet, ut se quisque noscat. Non enim credo, id præcipit, ut membra nostra, aut staturam, figuramque noscamus: neque nos corpora sumus: neque ego tibi haec dicens, corpori tuo dico. Cum igitur nosce te dicit, hoc dicit, nosce animum tuum (\*). Nam corpus quidem quasi vas est, aut aliquod animi receptaculum. Ab animo tuo quidquid agitur, id agitur a te. Hunc igitur nosse, nisi divinum esset, non esset hoc acrioris cujusdam animi præceptum, sic, ut tributum Deo sit, hoc est, seipsum posse cognoscere (b).

## I.

2. Itaque habere nos animum, cuius imperio & impellimur, & revocamus, omnes fatebuntur, inquit Seneca; quid tamen sit, animus, ille nœtor dominusque nostri, non magis tibi quisquam expediet, quam ubi sit. Alius illum dicet esse spiritum, alius concentum quemdam; alius vim divinam, & Dei partem, alius tenuissimum aerem, aliis incorporealem potentiam. Non deerit, qui sanguinem dicat, qui calorem (c).

Pro-

(a) Lib. IX.

(b) Lib. I. qq. Tuscul. cap. 22.

(c) Lib. VII. qq. natural. cap. 24.

(\*) Animam nosse jubet, qui præcipit:  
NOSCE TEIPSUM. Plato in Al-  
cibiade I. vel de natura hominis.

Profecto, si vétéres Philosophi consulantur, tam confusa est, tamque discors eorum de natura humanæ mentis opinio, ut hoc uno solum nomine *Viris recto judicio præditis laudanda videatur*, quod eis illud propositum sit studium, ut se invicem hallucinari, minimeque vera afferre, arguant, & convincant (a). Thales namque Milesius, ut refert Plutarchus, animam censuit naturam irrequietam esse, & sua vi citabilem. Pythagoras numerum seipsum carentem. Plato substantiam intellectilem, per se agitabilem, ad numerum se moventem harmonice modulatum. Aristotelem entelechiam primam corporis naturalis, potentia instrumenti vitam habentis (\*). Dicēarchus elementorum quatuor harmoniam. Asclepiades medicus sensum coexereitamentum. Anaxagorei aeris esse instar dixerunt, corpusque. Stoici fervidum spiritum. Democritus ignitum quoddam ex naturis concretum mente perceptis, globosam iis quidem ideam habentibus, igneam autem potentia, idque corpus esse (\*\*). Epicurus temperamentam ex quatuor, ex quali igneo, ex quali aquo, ex quali spirabili, ex quarto quodam innominato, quod ipsum sensibile est (\*\*\*) Heraclitus animam mundi expirationem eorum, quæ in eo sunt, humidorum. Animantium vero animum simul ab extraria expiratione, simulque ab ea, quæ intra fit, congenitum esse (b).

## Phil. Ment. T. II.

## G

## 3. Ve-

(a) S. Justinus Martyr. Paren. ad Grecos.

(b) Lib. IV. de placitis Philos. cap. 2. &amp; 3.

(\*) Aristoteles longe omnibus (Platonem semper excipio) præstans & ingenio, & diligentia, cum quatuor nota illa genera principiorum esset complexus, e quibus omnia orientur, quintam quamdam naturam censet esse, e qua sit mens. Cogitare enim, & providere, & dicere, & docere, & invenire aliquid, & tam multa alia, meminisse, amare, edisse, cupere, timere, angi, lætari; hæc & similia eorum in horum quatuor generum nullo infesse putat. Quintum genus adhibet, vacans nomine, & sic ipsum animum entelechiam appellat novo nomine, quasi quandam continuatam motionem, & perennem. Tullius lib. I. qq. Tuscul. cap. 10.

(\*\*) Democritum enim magnum quidem illum virum, sed levibus & rotundis corporiculis efficientem animum concursu quodam fortuito, omittamus. Nihil est enim apud istos, quod non atomorum turba conficiat. Tullius lib. I. qq. Tuscul. cap. 11.

(\*\*\*) Ea ipsa fuit Epicuri, quæ Democriti de natura humanæ mentis sententia. Quod enim ex Epicuro innominatum, atque sensibile, scilicet principium sensus, Plutarchus appellat, tenuissimis, maximeque rotundis, atque mobilibus, Epicuri quoque judicio, constare corporeis, ex Laertio, atque Lucretio, ut alios omittam, aperta res est. Epicuri siquidem dogmata recensens Laertius in ejus vita, hæc habet: ita erit firmissima probatio, quod animus sit corpus tenuibus partibus per totam congregationem seminatum; unde illa atomorum multitudine, quæ ad animæ naturam spectat, abscedente, rerum & soluto convenitu toto, dispergitur anima, utpote ex levissimis atomis atque rotundissimis composta. Ita vero rem eandem expressit Lucretius lib. III. de rerum natura v' 178.

Istib[us] nunc animus quali sit corpore, & unde Consisterit, pergam rationem reddere dictis.  
Principio esse ajo persubtilem atque minutis  
Perquam corporibus factum constare.

## I I.

3. Verum neque defuit, qui animum pro rursus de medio tolleret, hac una potissimum, inquit Cicero, ductus ratione, *quia difficilis erat animi, quid, aut qualis esset, intelligentia* (a). Dicæarchus certe, si illi credimus, in quodam sermone, quem Corinthi habitum, tribus libris exposuit, Pherecratem quandam Phthiotam senem differentem inducit, *nihil esse omnino animum, & hoc esse nomen totum inane, frustraque animalia, & animantes appellari; neque in homine inesse animum (vel animam) nec in bestia: vimque omnem eam, qua vel agamus quid, vel sentiamus, in omnibus corporibus vivis & quilibet esse fusam, nec separabilem a corpore esse s: quippe quæ nulla sit, nec sit quidquam, nisi corpus unum & simplex, ita figuratum, ut temperatione naturæ vigeat, & sentiat* (b).

## I I I.

4. Omnes itaque de humanæ mentis natura Philosophorum sententiæ ad duo veluti supra capta revocari optime posse videntur. Velenim hujuscemodi ponitur mens, ut nihil esse dicatur a corpora substantia diversum. Velejus ipsa dicitur esse naturæ, ut a corporeæ quavis substantia penitus distinguiatur. Qui totum, quidquid in homine est, materialem ajunt esse substantiam, atque hoc tantum substantiæ genus dari contendunt, *materialistæ, & etiam monistæ dicuntur*. *Monistæ quoque sunt, qui humanam mentem immaterialis quidem naturæ constituunt, sed realem mundi corporumque existentiam negant, idealem tantum admittentes, unde idealistæ vocari etiam solent. Materialistis ergo, atque idealistis illud commune est, ut unam tantum substantiam velint reipsa existere, illi nempe corpoream, hi vero immateriale. Porro ab idealistis parum distare videntur egoistæ. Hi enim nonnisi sui existentiam admittunt, adeo nempe ut cetera quæcunque entia, sive corporea, sive immaterialia, de quibus cogitant, idealem tantum habere existentiam velint, seu ea omnia nihil prorsus esse ab iis ideis diversa, quas ipsi habent in anima, & circa quas versatur eorum mens, dum de rebus ipsis, cogitant. Dualistæ demum dicuntur, qui duplex substantiæ genus, spiritualem scilicet, atque corpoream reapse extare fatentur; unde & humanam mentem spiritualis esse naturæ contendunt, & realem corporum existentiam propugnant. Materialismum defendere co-*

na-

(a) Lib. I. qq. Tuscul. cap. 22.

(b) Ibidem cap. 10.

natur Hobbesius Philosophus Anglus, pro eoque stant cum aliis Tolandus, & Covardus; neque ab illo abhorret Lokius; quippe qui opinatur, per corpusculorum motum posse humanæ mentis cogitationes explicari. *Egoismum* professus est Parisis paucis abhinc annis quidam Malebranchii assecla, ut refert Volfius (a); neque Malebranchius ipse multum distare ab *egoismo* nonnemini visus est, utpote qui contenderat, hactenus non esse factum, neque posse, fieri, ut realis corporum existentia ostendatur. *Dualismum* vero tutati sunt omnes melioris notæ Philosophi, & modo pro illo pugnant tamquam pro aris, & focis, quicunque non ad vanitatem, sed ad sobrietatem sapere cupiunt. Id unum ergo discutiemus in præfens, atque in eo nostra quammaxime versabitur disceptatio, ad quodnam substantiæ genus mens nostra revocanda sit, nimirum an humana mens sit sublimioris ordinis præstantiorisque naturæ, quam corporea quæque substantia; num vero sit talis, ut inter materialia entia collocari & ipsa jure ac merito queat.

## DEFINITO.

5. *Mens humana* dicitur illud principium, quo homo cogitat, seu quo verum intelligit, banumque vult, suarumque insuper perceptionum, ac volitionum conscius existit. Dicta est autem *mens*, quatenus cogitandi vis ceteris præstantior est, atque in anima eminet (b). *Rationalis anima*, nec non *animus*, vocari etiam solet. Dicitur *animæ*, quatenus per eam homo vivit; *animus*, quatenus per eam sapit; *rationalis*, seu *rationi particeps*, quatenus homo per eam, ut ait Tullius, consequentia cernit, *principia*, & causas rerum videt, earumque progressus, & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, & rebus præsentibus adjungit, atque annexit futuras (c).

## COROLLARIUM.

6. *Nihil certius nobis est existentia mentis*. Nihil quippe nobis constat apertius, quam cogitandi principium in nobis existere, seu ita nos intelligere verum, & velle bonum, ut simul simus harum omnium operationum consci. Quid enim, inquit S. Augustinus, tam cognitionis adest, quam id, quod menti adest? aut quid tam menti adest, quam ipsa mens (d)? Profecto, & ipsamet dubitatio argumento no-

G 2

bis

- (a) *Psychol. rational. Sect. I. cap. I. §. 38.* (c) *Lib. I. de Officiis cap. 4.*  
edit. Veronenis. (d) *Lib. X. de Trinitate n. 10. alias c. 7.*
- (b) *Vide librum de spiritu, & anima c. II.*



bis est vel evidentissimo de existentia mentis. Vivere se, & meminisse, ait S. Doctor modo laudatus, & intelligere, & velle, & cogitare, & scire, & judicare, quis dubitet? Quandoquidem etiam si dubitet, vivit; si dubitat, unde dubite, meminit; si dubitat, dubitare se inteligit; si dubitat, certus esse vult; si dubitat, cogitat; si dubitat, scit se nescire; si dubitat, judicat, non se temere consentire oportere (a).

### H Y P O T H E S I S I.

7. Circa dubitationis aleam esse puto, essentiam corporeæ substantiæ in eo esse positam, ut sit *ens natura sua impenetrabiliter extensum*, adeo nempe ut *extensio solidæ*, seu *impenetrabilis*, sit illud, quod primo nos movet, atque determinat, ut quod hujuscemodi deprehendimus, *corpoream ipsum esse substantiam*, seu *corpus*, sive *materiam*, censemus. Hoc itaque pro certo in præsens habeo. Neque enim profecto determinabitur unquam, mentem humanam non esse substantiam corpoream, nisi prius nobis certo constet, quid hujuscemodi substantiæ nomine intelligendum sit, & re ipsa intelligatur. Arbitratiam porro non esse notionem hanc substantiæ corporeæ, testem experientiam ipsam appello, ne dicam illam corporis ideam, quæ nobis quodammodo congenita est, atque ab ipsa origine veluti menti nostræ insculpta (b).

### S C H O L I O N.

8. Perinde est hoc loco, sive in *entitativa extensione*, sive in *naturali impenetrabilitate formalis ratio corporeæ substantiæ statuatur*. Satis enim in præsens est, habere pro re comperta, nullum esse corpus, quod *longitudine*, *latitudine*, & *altitudine* careat (c), sive quod ipsa sua natura non sit *impenetrabiliter extensum*, nihilque esse hujuscemodi, quod non sit corpus.

### C O R O L L A R I U M.

9. *Substantia corporea est in integrales partes divisibilis*. Extensum quippe entitative consurgit ex pluribus ea ratione simul unitis, ut unum extra aliud quoad totam suam *entitatem* existat; atque adeo illius naturæ, ut unum ab alio sejungi possit. Hinc vicissim

Co-

(a) Lib. X. de Trinitate n. 14. alias c. 10. (c) S. Augustinus lib. de quantitate ani.

(b) Vide, quæ hac de re diximus in *Physica*. mænum. 13. alias cap. 14.



## C O R O L L A R I U M II.

10. *Illa substantia non est materialis, quæ natura sua impenetrabiliter extensa non est; ac proinde neque in integrales partes divisibilis.* Materialis quippe non est substantia, cui corporeæ substantiæ ratio minime convenit, neque princeps ejusdem substantiæ inest proprietas.

## H Y P O T H E S I S II.

11. Pro certo itidem habeo, affectiones primitivas substantiæ corporeæ esse magnitudinem, figuram, motum, quietem, & situm: primitivas, inquam, hoc est, tales, quæ primo, seu immediate corporeæ substantiæ convenient; quæque proinde hujuscemodi sint, ut ceteræ omnes ipsius substantiæ proprietates, omnesque ejusdem operationes ex illis oriuntur, & per eas explicentur. Veritas porro hujuscem hypothecos ex modo tradita notione materialis substantiæ manifesta est. Etenim impenetrabiliter extenso, prout tali, non convenit proxime & immediate, nisi posse certa magnitudine, atque figura determinari & circumscribi, moveri & quiescere; simulque tales habere partes, quæ diversa ratione collocari queant inter se, & artificiose componi.

## C O R O L L A R I U M .

12. Quemadmodum ergo illa substantia est corporea, cuius proprietates possunt per mechanicas affectiones explicari, ita ex adverso illa substantia non est corporea, cuius proprietates atque operationes per affectiones mechanicas, scilicet per magnitudinem, figuram, motum, quietem, & situm corpusculorum, ostendi nullatenus possunt. Hoc enim ipso impenetrabiliter non est extensa.

## H Y P O T H E S I S III.

13. Certum postremo mihi est, spiritualem eam esse substantiam, quæ non est corporea. Ut enim præclare docet S. Augustinus, quidquid corpus non est, & tamen aliquid est, recte jam spiritus dicitur (a). Et sane, nisi pro spirituali ea habeatur substantia, quæ non est corporea, nullum habere potest locum, quæ de humanae mentis spiritualitate instituitur, disceptatio. Certum est enim, quæri recte non Phil. Ment. T. II. G 3 posse,

(a) Lib. XII. supra Centum num. 16. alias cap. 7.

posse, num mēns humana sit substantia spiritualis; nisi primo, quid *spiritualis substantiae* nomine intelligatur, apertum fiat. Res quoque videtur perspicua, substantiam spiritualem dupli modo posse describi, nimirum *positive* ex illius operationibus nobis notis, & *negative*, ea scilicet omnia attributa illi denegando, quae corporeæ substantiæ inesse cognoscimus. Jam vero, si *spiritualis substantia positive* definiatur, dicendum proculdubio videtur, eam esse, quæ cogitat. Quamobrem nemo erit, qui de humanæ mentis spiritualitate, vel leviter dubitare possit; cum nemo sit, quem lateat, humanam mentem cogitare (§. 6.). Relinquitur ergo, ut dicamus, spiritualem eam esse substantiam, quæ non est corporea; quippe hoc ipso stat, queri optime posse, num humana mens sit substantia spiritualis, hoc est, a corporeâ prorsus diversa. Igitur

### C O R O L L A R I U M I.

14. *Ea substantia est spiritualis, que natura sua neque impenetrabiliter extensa est, neque propterea in integrales partes divisibilis; neque talibus instructa proprietatibus, eoque modo operans, ut proprietates ipsæ, atque operationes per magnitudinem, figuram, atque motum corpusculorum ostendi valeant, & explicari.* Hujuscemodi namque substantia non est corporea (§. §. 10. 12.).

### C O R O L L A R I U M II.

15. Quoniam autem, quæ sibi mutuo contraria sunt, oppositam habent naturam, oppositasque proprietates, & affectiones, *omnis substantia spiritualis ejus est naturæ, ut sit entitative inextensa, atque in partes integrales prorsus indivisibilis.* Hujuscemodi quoque sunt illius proprietates, atque operationes, ut per mechanicas corpusculorum affectiones explicari nullatenus possint.

### S C H O L I O N.

16. *Spiritum hoc loco sumimus proprie, & in rigore, scilicet pro substantia diversi omnino generis a corporea, præstantioris-que naturæ. Spiritus quippe nomine, lato modo sumti, ea etiam designari solet corporea substantia, quæ tenuis apprime est, & maxime vivida.*

LEM-

## L E M M A I.

*Nihil eorum, quæ extra nos existunt, potest motionem aliquam nobis in cerebro excitare, nisi motum iis nervorum fibrillis primo communicet, qui ex interiori cerebri substantia prodeunt, extimi nostri corporis partibus inferuntur.*

17. *Probatur.* Nihil eorum, quæ sunt extra nos, tangere immediate potest interiorem substantiam cerebri. Ergo nihil prorsus eorum, quæ extra nos existunt, potest motionem aliquam nobis in ipso cerebro immediate excitare. Constat quippe experientia, ipsa etiam demonstrante ratione, communicationem motus peragi inter corpora neutquam posse, nisi illa physice sese tangent. Manifestum porro est ex Anatome, ex innumeris pene partibus, quæ humanum corpus constituunt, nervos dumtaxat ita interiori cerebri substantiæ respondere, eique conjungi, ut nulla vel levissima motio in extremis etiam ipsorum nervorum partibus excitari queat, quin ad cerebrum usque deferatur, ejusque interiori substantiæ communicetur. Ergo, ut res, quæ extra nos existunt, aliquam nobis in cerebro motionem efficiant, necesse est, motum iis nervorum fibrilis primo communicent, qui ex interiori ipsius cerebri substantia, veluti ex radice, erumpunt, nostrique corporis extimis partibus inferuntur, & sensoria constituent.

## S C H O L I O N.

18. Deus tamen, atque angeli ab hac lege excipiendi sunt, eosque excipio. Res enim est certissima, motiones quascunque excitari in humano cerebro ab illis posse, quin ullam prorsus in extremis nervorum, ex interiori illius substantia prodeuantium, fibris motionem primo efficiant.

## C O R O L L A R I U M L.

19. *Nihil ergo eorum, quæ extra nos sunt, si Deum, atque angelos excipias, potest motionem aliquam nobis excitare in cerebro, nisi iis nervorum fibrilis communicare valeat motum, qui ex ipso cerebro ad extimas usque nostri corporis partes propagantur.* Si enim nulla rerum extra nos existentium potest motionem aliquam nobis in cerebro excitare, nisi motio ab illa primo fiat in extremis nervorum ex ipso cerebro

prodeuntium fibris, relinquitur profecto, nihil eorum, quæ extra nos existunt, aptum esse ad motionem aliquam nobis excitandam in cerebro, nisi ejus sit naturæ, ut valeat extremis illorum nervorum fibris motum primo communicare. Hinc

### C O R O L L A R I U M II.

20. Nonnisi quæ proxime, & immediate sensibilia sunt, hoc est; hujusmodi, ut per sensus attingi possint, & attingantur re ipsa valent motionem nobis in cerebro excitare. Hac enim dumtaxat, ut patet ex Physica, ita afficiunt fibras nervorum, qui ex interiori cerebri substantia per universum corpus propagantur, ut motum illis fibris re ipsa communicent.

### C O R O L L A R I U M III.

21. Ipsa quoque sensibilia secundum illam dumtaxat rationem valent nobis motum aliquem excitare in cerebro, secundum quam formaliter sunt proxime, & immediate sensibilia. Sensibilia enim motionem in cerebro non excitant, nisi quatenus nerveis organorum sensoriorum fibrillis motum communicant. Hisce autem fibris motum non communicant, nisi quatenus sunt sensibilia. Ergo nonnisi quatenus sensibilia, cerebro quoque motum communicant.

### L E M M A II.

*Plura extra nos posita re ipsa percipit humana mens, quæ sensuum organa nullatenus afficiunt, seu quæ proxime & immediate non sunt sensibilia.*

22. *Probatur.* Constat enim primo, nos percipere Deum, ejusque plura attributa, summam scilicet veritatem, bonitatem, justitiam, atque potentiam, & quidem nullo limite circumscriptam; nihilque nobis in hisce notionibus relucere, quod aliquid vel minimum sensititatis contineat. Constat secundo, tres dimensiones ita a nobis in solido discerni, ut & lineam omnی latitudine, & profunditate carentem, & superficiem nulla affectam profunditate nitide intelligamus, quamvis neque linea, neque superficies, si sumantur hoc modo, re ipsa sint, nec esse possint; ac proinde etsi illæ organa sensuum haud quam afficiant. Ut enim olim egregie dixerat S. Augustinus Evidium alloquens, sola longitudo non nisi intelligi animo potest, in corpore

*re inveniri non potest* (a). Constat tertio, sensibus minime subjici Solis, Lunæ, astrorumque magnitudinem, eorum situm, celeritatem, atque distantiam tum inter se, tum a loco, quo corpora ipsa cernimus, & tamen hæc omnia nitide a nobis intelligi, menteque comprehendti. Constat quarto, nos cognoscere intellectum in corporibus motum; corpora quæque mixta ex tenuissimis, visusque aciem omnino fugientibus, componi corpusculis; innumeris porulis ea omnia esse inspersa, simulque tenuissimam maximeque mobilem substantiam jugiter ex ipsis poris erumpere, & quoquoversus in orbem diffundi. Constat postremo, ut alia, & quidem plurima, compendii gratia, omittam, nos perspicue intelligere, atque, ut egregie advertit S. Augustinus, memoria tenere numerorum, dimensionumque rationes, & leges innumerabiles, quarum nullam corporis sensus impressit; quia nec ipsæ coloratae sunt, aut sonant, aut olent, aut gustatae, aut contrectatae sunt. Audivi sonos verborum, quibus significantur, cum de his differitur, inquit laudatus S. Doctor, sed illi alii, istæ autem aliae sunt. Nam illi aliter græce, aliter latine sonant; istæ vero nec græcae, nec latine sunt, nec aliud eloquiorum genus. Vidi lineas fabrorum vel etiam tenuissimas, sicut filum araneæ, sed illæ aliae sunt; non sunt imagines earum, quas mihi nuntiavit carnis oculus. Novit eas quisquis sine ulla cogitatione qualiscumque corporis intus agnovit eas. Sensi etiam numeros omnibus corporis sensibus, quos numeramus; sed illi alii sunt, quibus numeramus, nec imagines istorum sunt, & ideo valde sunt. Rideat me ista dicentem, qui eos vobis videt, & ego doleam ridentem me (b). Ego &c.

## C O R O L L A R I U M.

23. Plura igitur extra nos posita percipit mens nostra, quæ nullam prorsus in cerebro motionem excitant. Earum quippe dumtaxat rerum proprium est, motionem in cerebro excitare, quæ ita sensuum organa afficiunt, ut fibris nervorum ipsa organa constituentium motum aliquem, qui ad cerebrum usque propagari possit, & propagetur reipsa, dum illis occurunt, communicent (§. 19.).

## S C H O L I O N.

24. Animadvertisendum quamaccurate est, mihi prorsus sufficere hoc loco, ut res, quæ percipiuntur, et si corporeæ sint, atque ex suo genere sensibiles, sensus tamen ipsos minime reapse afficiant. Hoc enim

(a) Lib. de quantitate animæ n. 10, alias c. 6. (b) Lib. X. Confessionum n. 19, alias c. 12.

enim ipso stat optime, quod modo contendimus, nullum scilicet motum a rebus ipsis, dum eas mente complectimur, nobis in cerebro excitari. Si namque externa sensoria ab illis non afficiuntur, nulla motio communicatur fibris organa ipsa constituentibus; atque hinc neque motio aliqua ab illis in cerebro excitatur, utpote quæ non habetur in cerebro, nisi ex propagatione illius motionis, quæ a rebus ipsis in organo externo efficitur (§. 17.).

## LEMMA LII

*Mens humana plures rationes percipit in rebus sensibilibus, secundum quas formaliter res ipsæ non sunt sensibles.*

25. *Probatur.* Manifestum est, in rebus sensibilibus distincte a nobis concipi rationes entis, possibilitatis tam logicæ, quam metaphysicæ, substantiæ, essentiæ, & existentiæ, principiï, & principiati, causæ, atque effectus; rationes quoque unitatis, veritatis, & bonitatis, simplicitatis, & compositionis, necessitatis, & contingentia, aliasque plurimas id genus. Constat autem, res ipsas, si penes has rationes formaliter spectentur, non esse sensibles. Neque enim per eas formaliter lucidae sunt, vel coloratae, non sapidae, non odoratae, non sonoræ, non duræ, aut molles, non lenes, aut asperæ, non callidæ, aut frigidæ &c. Unde S. Augustinus de iis loquens quæstionibus, quæ circa rerum essentiam, & existentiam institui solent, cum audio, inquit, tria genera esse quæstionum, an sit, quid sit, quale sit, sonorum quidem, quibus hac verba confecta sunt, imagines teneo, & eos per auram transisse cum strepitu, & jam non esse scio. Res autem ipsas, quæ illis significantur sonis, neque ullo sensu corporis attigi, nec uspiam vidi prater animum meum, & in memoria recondidi non imagines earum, sed ipsas, quæ unde ad me intraverint, dicant, si possunt (a). Ergo &c.

## COROLLARIUM.

26. Hinc manifestum efficitur, res sensibles a nobis percipi etiam secundum rationes, secundum quas formaliter nullam prorsus motionem nobis in cerebro excitant, neque excitare possunt. Per id enim formaliter res sensibles extra nos positæ motionem in cerebro excitant, per quod formaliter sunt sensibles (§. 21.).

LEM-

(a) Lib. X. Confessionum n. 10. alias c. 10.

## L E M M A IV.

*Cogitatio posita non est formaliter in certa quadam motione tenuissima maximeque mobilis substantiae a rebus, circa quas cogitando versamur, nobis in cerebro excitata.*

27. Cogitatio sumitur hoc loco, prout continet tum perceptionem rei directam, judicium, atque discursum, tum perceptionem reflexam, eam scilicet, per quam mens ita in perceptionem directam, judicium, atque ratiocinationem tendit, ut earum omnium operationum, atque hinc etiam sui ipsius, conscientia fiat. Ita enim, ipsa teste conscientia, mens percipit, judicat, atque discurrit, ut se percipere, se judicare, seque ratiocinari simul itidem sciat. Hoc itaque posito, probatur assertio.

## I.

28. Si namque directa rei perceptio nihil aliud esset formaliter, nisi certa quadam motio tenuissimae maximeque mobilis substantiae ab ea re, quæ percipitur, nobis in cerebro excitata, id dumtaxat percipi a nobis posset, & perciperetur re ipsa, quod valet motionem hujusmodi substantiae nobis in cerebro excitare, eamque re ipsa excitat; atque insuper, quod modo a nobis percipitur, secundum eam dumtaxat rationem perciperetur, secundum quam formaliter motio illa ab eo in cerebro efficitur. Perceptibile quippe dicitur, quod sui perceptionem excitare in nobis valet; quodque percipitur, secundum eam rationem dicitur a nobis percipi, secundum quam formaliter perceptio ipsa ab illo in nobis excitatur. Hoc autem vel evidentissime falsum est; cum nihil ferme nobis constet apertius, quam plura a nobis percipi, quæ ad aliquam motionem nobis in cerebro excitandam plane inepta sunt (§. 23.) ; simulque plura a nobis concipi, optimeque intelligi penes rationes, secundum quas formaliter nullam nobis in cerebro motionem excitat, neque excitare possunt (§. 26.). Ergo directa rerum perceptio posita formaliter non est in certa quadam tenuissimorum maximeque mobilium corpusculorum motione, ab ea re, quæ percipitur, nobis in cerebro excitata.

## II.

29. Hinc neque judicium, neque ratiocinatio potest in corpusculorum motione collocari. Hæc enim utraque mentis operatio adeo a perceptione dependet, ut, perceptione seclusa, neutra esse possit. Ceterum,

terum, dato etiam, *perceptionem* nihil esse a corpusculorum motione diversum, adhuc stat, *judicium*, atque *discursus* minime posse in corporeo motione constitui. Et quidem in primis quod spectat ad *judicium*, cum mens affirmative judicet, quatenus duas ideas simul conjungit, si *judicium* nihil est aliud, quam certa quædam corpusculorum motio, *judicium affirmativum* positum erit formaliter in unione earum motionum, in quibus notiones *subjecti*, & *prædicati* consistunt. Alia autem est motio corpusculorum, in qua notio *subjecti*, alia, in qua notio *prædicati* posita est. Igitur in *judicio affirmativo* simul miscentur corpuscula diverso motu affecta. Miseri autem nequeunt, quin novam motus determinationem acquirant; ac proinde quin alio motu a priori plane diverso agitantur. Ergo per *judicium affirmativum* peribunt prorsus illæ corpusculorum motiones, quibus *subjectum*, & *prædicatum* antea exprimebantur. Constat autem, notiones *subjecti*, & *prædicati* haudquaquam in *judicio* extingui. Ergo *judicium affirmativum* non est unio corpusculorum, quæ secundum diversas determinationes in cerebro moveantur.

Quod vero attinet ad *discursum*, illud certum est, totum *affirmativa ratiocinationis* opus in eo esse positum, ut ex unione duarum idearum cum tertia unio illarum inter se colligatur, quin ex hac unione aliqua ipsarum idearum pereat, aut aliqua hinc fiat confusio, per quam notiones ipsæ discerni a se mutuo non amplius possint. Igitur, si *ratiocinatio* non est, nisi certa corpusculorum motio peracta in cerebro, unientur in *ratiocinatione* duæ diversæ motiones corpusculorum simul cum tertia ab illis prorsus diversa, & ex hac unione emerget unio illarum duarum motionum inter se, quin aliqua vel minima inter eas confusio fiat; ac proinde quin ex contactu corpusculorum diversa ratione agitatorum mutantur eorum determinationes, & nova in illis excitetur motio, priori prorsus extincta. Hoc autem impossibile omnino est, demonstrante experientia, nec repugnante ratione, corpuscula diverso motu affecta simul misceri nequam posse, quin ex mutuo contactu determinationes ipsorum mutantur, & nova hinc motio in illis fiat. Ergo plane repugnat, ut *ratiocinatio* a certa corpusculorum motione peracta in cerebro minime distinguatur.

## III.

30. Quod demum ad eam operationem spectat, per quam mens suarum *perceptionem*, *judicii*, atque *discursus* conscientia efficitur, tanta evidentia constare puto, per corpusculorum motionem id explicari non

non posse, ut a nullo, qui rem æquo attentoqué animo expenderit, illud jure queat in dubium verti. Neminem quippe latet, eandem esse mentem, quæ percipit, judicat, & discurrit, quæque simul scit, certoque cognoscit, se percipere, judicare, atque discurrere. Ergo eadem debent esse corpuscula, quæ simul moveantur, tum prout exigit perceptio directa, judicium, & ratiocinatio, tum prout postulat perceptio reflexa; ac proinde quæ duplici simul motu affecta sint, quorum alter alterum exprimat, quin sese mutuo turbent ne quidem levissime. Id autem, ut ex Physicis constat, motuum legibus penitus contrarium est. Ergo dicendum, cogitationem ab omni corpusculorum motione, quæ fieri in cerebro queat, toto cœlo differre.

## C O R O L L A R I U M .

31. Quoniam magnitudo, & figura, si spectentur absolute, sive secundum se, sunt affectiones prorsus inertes, & de genere sterilium, nequit in motione corpusculorum statui cogitatio, quæcumque magnitudo, vel qualiscunque figura illis corpusculis tribuatur. Quam obrem stat, cogitationem esse operationem præstantis adeo ordinis, atque naturæ, ut nullatenus possit, quidquid dicat Lokius, aliique cum eo, per mechanicas corpusculorum affectiones explicari.

## P R O P O S I T I O I .

*Mens humana est entitative substantia, hoc est, ens per se existens.*

32. Probatur. Quia, si mens humana non est entitative substantia, seu ens per se existens, cum substantiam inter atque accidens non detur medium (P. I. §. 182.), mens ipsa erit accidens physicum. Hoc autem plane falsum est. Ergo mens humana est entitative substantia. Prob. min. etenim mens humana non potest esse accidens physicum, nisi sit accidens substantiæ vel corporeæ, vel spiritualis. Neutrius autem potest esse accidens. Non enim spiritualis; quia vel nulla est substantia hujuscemodi, vel si qua datur, ea non est, nisi substantia cogitans, ac proinde aliquod ejusdem naturæ, ac ipsa mens. Neque corporeæ; quia tunc cogitatio esset actio corporeæ substantiæ; ac proinde nihil diversum a certa quadam determinataque motione particularum materiarum; cum ex omnibus corporeæ substantiæ affectionibus, motus dumtaxat rationem activi habeat; nullaque sit corporeæ substantiæ operatio, quæ per motum particularum, ut patet ex Physica, non explicetur. Differt autem cogitatio a quavis motione particularum materiarum (§. 27.). Ergo &c.

Co-

## C O R O L L A R I U M .

33. *Mens humana subjecto intrinsece, sive natura sua, non indiget, ut existat. Ut enim diximus alibi (P. I. §. 158.) perfectas excludit intrinsecam dependentiam rei a subjecto in existendo.*

## P R O P O S I T I O II.

*Mens humana est aliquid omnino diversum ab ea tenuissima, maximeque mobili ac vivida substantia, quæ ex puriori sanguine in cerebro elaboratur.*

34. *Probatur. Cum enim omnis actio illius vividæ actuosæque substantiæ, quæ ex puriori sanguine elaborari in cerebro dicitur, nihil sit a certo corpusculorum motu diversum, nequit humana mens in illa vivida actuosaque substantia formaliter collocari, quin ipsa itidem cogitatio in certa corpusculorum motione, quæ in cerebro fiat, formaliter statuatur. Constat autem, cogitationem ab omni corporea motione, quæ fiat in cerebro, toto cœlo differre (§. 27.). Ergo mens humana est omnino aliud ab ea vivida substantia, quæ ex puriori sanguine in cerebro perficitur.*

## C O R O L L A R I U M I.

35. *Mens humana non est substantia ex tenuissimis maximeque mobilibus conflata corpusculis, quæ certis determinatisque legibus, pro cogitationum discrimine, intestino motu agitantur. Tunc enim cogitatio nihil esset aliud, quam certa quædam corpusculorum motio ex rerum externarum appulsa in cerebro excitata.*

## C O R O L L A R I U M II.

36. *Humana mens neque est subtilior aeris, aut ignis, vel alterius, vividæ actuosæque substantiæ portio in humani corporis penetratibus resistent, neque elementorum mixtio, harmonia, vel combinatio, neque temperies primarum qualitatum, sive elementorum, neque demum aliud quidquam ex iis substantiis, sive naturis elaboratum, quæ in hoc mundo asperabilis nobis innotescunt. In horum enim nullo constitui potest mens, quin fateri cogamur, cogitationem nihil esse a corpusculorum motu diversum. Præclare idcirco Tullius, animarum, inquit, nulla in terris.*

ris origo inveniri potest. Nihil enim est in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum atque fixum esse videatur. Nihil ne aut humidum quidem, aut stabile, aut igneum. His enim in naturis nihil inest, quod vim memoriae, mentis, cogitationis habeat, quod & praterita teneat, & futura prævideat, & complecti possit praesentia, quæ sola divina sunt; nec invenietur unquam, unde ad hominem venire possit, nisi a Deo. Singularis est igitur quædam natura atque vis animi, sejuncta ab his usitatis notisque naturis. Ita quidquid est illud, quod sentit, quod sapit, quod vult, quod viget, cœlestē, & divinum est, ob eamque rem aeternum sit necesse est. Nec vero Deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam & libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens & movens, ipsaque prædicta motu sempiterno (a).

## COROLLARIUM III.

37. Quod de humana mente diximus, de quavis cogitante substantia intelligendum est, dicendo scilicet, substantiam cogitantem ab omni eo penitus differre, quod atomorum turba conficiat.

## PROPOSITIO III.

*Mens humana non est substantia in integrales partes re ipsa divisibilis.*

38. *Probatur.* Velenim quælibet illarum partium integralium, in quas ponitur humana mens re ipsa posse secari, seorsim ab aliis sumta, vi cogitandi prædicta est, vel hac vi penitus est destituta. Neutrū dici potest. Ergo mens ipsa non est substantia in integrales partes divisibilis. *Probo min.* Nequit dici primum. Nam, si quælibet illarum partium seorsim sumta ab aliis posset cogitare, quælibet esset tota mens, ac proinde earum una dumtaxat in nobis existeret, nisi forte plura cogitandi principia simul in uno homine extare velimus. Porro nisi cogitans illa particula ponatur integralibus carere partibus, redit argumentum, ut patet, atque ita in infinitum. Alterum quoque dici non potest. Si namque nulla illarum partium divisione posita, vi cogitandi pollet, tota quoque substantia ex illis conflata, eadem ipsa vi penitus careat, necesse est; cum ex inertibus, experientia teste, fieri nequeat totum integrale vi activa donatum, nisi for-

(a) Lib. I. qq. *Tuscul.* cap 27. Vide S. Augustinum lib. X. de *Trinitate* num. 8., & seq.

fortasse aliquis velit, unioni, qua partes illæ simul copulatae sunt; cogitandi vim acceptam referre.

Evidenter autem id adhuc fiet, si omnes illæ integrales partes inter se homogeneæ statuantur. Eadem quippe tunc erit totius ipsius substantiæ, ac singularum partium, ex quibus constat, natura; & ideo aut illæ singulæ cogitare poterunt, aut etiam tota ipsa substantia erit cogitandi vi penitus destituta.

Si quis dicat, integrales eas partes non esse omnino inertes, sed pollere vic cogitandi, non quidem adæquata, & totali, sed partiali & inadæquata; contra est, quia sicuti tota vis cogitandi, sive adæquatum completumque cogitationis principium, ex pluribus partialibus principiis intrinsecus constituitur, ita quævis perceptio ex pluribus partialibus perceptionibus constaret, & una fieret. Neque enim perceptio indivisibilis esse potest, si indivisible non sit principium, ex quo illa ita provenit, ut simul in eo, tamquam in subjecto, recipiatur. Quæro igitur, quomodo res se habeat, cum una simplicissima penitusque indivisibilis ratio, *entis* nimurum, *veri*, *boni* &c. a nobis percipitur. Vel enim quælibet illarum partialium perceptionum rationem illam exprimit, vel non. Si primum: ergo frustraneæ sunt reliquæ. Si alterum: ergo neque omnes simul sumtæ eam exprimere, nobisque repræsentare valebunt. Mente quippe complecti non possum, quomodo, si nulla partialium earum perceptionum aliquid vel minimum exprimit simplicissimæ illius *formalitatis*, eam omnes simul sumptæ exprimere valeant, mentique cogitanti exhibere.

Quod si perceptio simplicissimæ *formalitatis* ponatur omnino simplex, aperta res est, neque percipiendi principium, mentem scilicet ipsam, ex pluribus integralibus partibus coalescere posse; cum omnis perceptio, utpote certa quædam modificatio mentis, in illa, velut in subjecto, recipiatur.

Nobis porro ne leviter quidem officit, plures in humana mente vires distingui, percipiendi nempe, *judicandi*, & *ratiocinandi*, nec non *appetendi*, quod bonum est, idque *nolendi*, quod est malum: non officit, inquam; quandoquidem hinc minime sequitur, mentem humanam pro virium numero atque discriminine, in plures dissimilesque partes posse re ipsa secari. Ipsa etenim teste conscientia, notum cuique est, eandem penitus in nobis esse rem, quæ hasce omnes operationes elicit; utque præclare advertit, & explicat Auctor libri de *spiritu*, & *anima* cap. 19. *anima* in quibuscumque suis motibus, vel actibus tota simul adest. Tota videt, & tota sonorum reminiscitur: tota odo rat, & tota odores recolit: tota per linguam & palatum sapores sentit,

di-

discernitque: tota tangit dura, vel mollia: tota simul approbat, & reprobatur. Calida vero, vel frigida summo tantum digito tota discernit. Tota est visus, tota est auditus, tota meminit, & cum tota meminit, tota est memoria; cum tota vult, tota est voluntas; cum tota cogitat, tota est cogitatio; cum tota diligit, tota est dilectio. Contrarium autem quisque in seipso experiretur, si integralis una suæ mentis pars perciperet, altera judicaret, ratiocinaretur alia, unaque vellet, & nolle altera. Nobis insuper notum esset, unam tantummodo mentis nostræ partem, eam scilicet, quæ vi percipiendi prædicta est, scire, quid præstent aliæ; quæ autem vult, ignorare prorsus se velle, sibique bonum esse, quod appetit. Si enim hæc pars noscit, quod ipsa vult, jam eadem pars duplici simul donatur potentia, volendi nempe, ac percipiendi, quin in duas & ipsa sit partes discreta. Id ergo non impedit, quominus mens pluribus simul viribus polleat, quin plures in ea integrales partes discerni possint.

## C O R O L L A R I U M .

39. *Substantia cogitans integralibus caret partibus, in quas re ipsa possit resolvi. Hujuscemodi quippe esset etiam humana mens, si qua cogitans substantia integrales partes complecteretur.*

## P R O P O S I T I O IV.

*Mens humana non est substantia entitative extensa.*

40. *Probatur. Mens humana nequit esse substantia entitative extensa, nisi plures re ipsa contineat integrales partes, in quas dividi possit. Oritur enim extensum ex unione plurium, quorum unum extra aliud quoad totam suam entitatem existit. Constat autem, mentem humanam non esse substantiam, quæ possit re ipsa in plures integrales partes secari (§. 38.). Ergo non est entitative extensa.*

*Confirmatur. Cum omnis cogitatio, utpote actio immanens, in substantia mentis cogitantis, tamquam in subjecto, recipiatur, fieri nequit, ut mens sit substantia extensa, quin aliqua etiam in ipsa cogitatione nobis extensio reluceat. Hoc autem quam falsum sit, nemo non videt. Ergo falsum quoque est, mentem esse substantiam entitative extensem.*

*Dices, concipi nullatenus posse, quomodo, quod entitative extensum non est, extensum concipiatur, illudque in seipso exprimat.*

*Contra est, & quidem primo: quia si nequit intelligi, quomodo ab Phil. Ment. T. II. eo,*

eo, quod extensum non est, valeat attingi, atque representari extensum, neque eodem jure concipi unquam poterit, quomodo ab eo, quod est extensum, intelligi inextensem possit. Hoc autem non prohibet per adversarios, quominus mens ab illis ponatur *entitative extensa*. Ergo neque illud pari ratione impediet, quominus inextensa eadem ipsa statuatur.

*Secundo*: quia, si mens debet esse *entitative extensa*, ut in se valeat extensum exprimere, tanta necessario debet esse extensio mentis, quanta est rerum earum, quae ab ea in seipsa exprimuntur. Qua enim ratione non potest concipi, ut ab inextenso intelligatur extensum, eadem ratione nequit intelligi, ut, quod tripalmaris est extensionis ab eo, quod semipalmaris tantummodo extensionis est, exprimatur. Tanta ergo erit *entitative extensio mentis*, cum coeli hemisphaerium percipit, quanta est extensio ipsius hemisphaerii. Tanta quoque eadem ipsa erit in mente, quanta in musca habetur, dum muscam attingit. Vel si mens potest modo majus, modo minus extensem concipere, quin ipsius mentis extensio mutetur, ac proinde et si extensionem rei, quam in seipsa exprimit, haudquaquam adaequet, eadem ipsa poterit extensem concipere, licet omni prorsus extensione destitura statuatur.

Neque huic rationi fit satis, si dicatur, posse in exiguo spatio ingentia objecta representari; at vero nullatenus posse fieri, ut imaginem extensi objecti indivisible punctum exhibeat. Hoc, inquam, nihil est. Quamvis enim imago ingentis objecti possit quoad dispositionem partium in exiguo spatio contineri, non propterea potest per eam tota, quanta re ipsa est, extensio objecti ita in illo exiguo spatio nobis exprimi, ut hoc ipso praecise, quod visus imaginem illam cernit, extensionem ipsam attingat. At vero mens ita extensem objectum percipit, sibique illud representat, ut non solum dispositionem partium, verum etiam integrum illius extensionem nitide percipiat, distincteque in seipsa exprimat. Sicuti ergo, ut imago totam objecti, cuius imago est, extensionem ostendat, tantæ re ipsa debet esse extensionis quoquaversus, quantæ dimensionis est ipsum objectum; ita, si mens debet esse *entitative extensa*, ut valeat extensem objectum percipere, necessario requiritur, ut tantæ re ipsa sit dimensionis, quantæ dimensionis est objectum, quod illa tunc percipit. Hoc autem est aperte falsum. Ergo haud recte contendere aliquis potest, humanam mentem ex eo admittendam esse *entitative extensam*, quod extensem percipiat. Egregie propterea S. Augustinus, *cum ocu-li*, inquit, *medium*, quod pupilla dicitur, nihil aliud sit, quam quod-dam

*dam punctum oculi, in quo tamen tanta vis est, ut eo dimidium cœlum, cuius ineffabile spatium est, ex aliquo eminenti loco cerni collusfrarique possit, non abhorret a vero, animum carere omni corporea magnitudine, quæ tribus illis differentiis (longitudine scilicet, latitudine, & profunditate) consumatur, quamvis corporum magnitudines quaslibet imaginari queat (a).*

## C O R O L L A R I U M I.

41. *Mens humana nullam habet, nec habere potest figuram. Illud enim dumtaxat capax configurationis est, quod secundum plures dimensiones est entitative extensem.*

## C O R O L L A R I U M II.

42. *Substantia cogitans omni entitativa extensione caret, nullaque figura circumscribitur. Etenim etiam humana mens posset extensione aliqua, & figura donari, si qua cogitans substantia harum affectionum capax existeret.*

## P R O P O S I T I O V.

*Mens humana non est substantia physice composita ex subiecto, & forma.*

43. *Probatur. Cognitio non est talis operatio, quæ exigat esse à principio physice composito ex subiecto, & forma, alioquin etiam Deus ipse, utpote substantia cogitans, ex subiecto, & forma physice componeretur. Ergo humana mens ex subiecto, & forma physice non coalescit. Mentis quippe natura nonnisi ex cogitatione cognoscitur.*

*Confirmatur. Quia subiectum, ex quo mens intrinsecus constare dicitur, erit certe aliquod omaino passivum, ac prorsus iners. Tota enim vis activa eorum, quæ ex subiecto & forma composita sunt, ex forma derivatur, in eaque residet. Nihil autem hujusmodi in humana mente est. Si namque est ulla materies, unde anima fuit, inquit S. Augustinus, quid ipsa est? quod nomen, quam speciem, quem usum in rebus conditis tenet? Vivit, an non? Si vivit, quid agit? quid confert universitatis effectibus. Beatamne vitam gerit, an miseram, an neutram? Vivificat aliquid, an ab hoc etiam opere vacat, & in quodam secreto universitatis otiosa requiescit, sine vigili sensu, motuque vitali (b)? Profecto, si interiora men-*

H 2

tis

(a) Lib. de quantitate animæ num. 24. alias c. 14.

(b) Lib. VII. de Genesi ad litteram num. 10. alias c. 7.

tis nostræ ipsi scrutemur, fateamur necesse est, nihil prorsus in ea haberi, quod vi cogitandi non polleat. Quidquid enim nobis in ea relucet, totum cogitat. *Absurdum est dicere*, inquit laudatus S. Doctor, *non eam totam*, mentem scilicet, *scire*, *quod scit*. *Non dico*, *totum scit*, *sed quod scit*, *tota scit*. *Cum itaque aliquid de se scit*, *quod nisi tota non potest*, *totam se scit*. *Scit autem*, *se aliquid scientem*, *nec potest quidquam scire*, *nisi tota*. *Scit igitur se totam* (a). Itaque si nihil passivum, nihilque iners in se percipit mens, nihil hujuscemodi in ipsa est; ac proinde nullum in ea habetur subjectum, ex quo intrinsecus, quemadmodum quæ sensibus patent corpora, componatur.

## C O R O L L A R I U M I.

44. *Mens humana est substantia physice simplex*. Non enim ex pluribus essentialiter conflata est, quorum unum sejungi reipsa ab altero possit, habeatque eorum alterum rationem materiae, sive subjecti, alterum rationem actus, sive forme.

## S C H O L I O N.

45. Loquimur de compositione physica, de ea scilicet, quæ sit ex principiis reipsa separabilibus. Nihil enim interest hoc loco, si logice, vel metaphysice composita mens ipsa dicatur.

## C O R O L L A R I U M II.

46. *Omnis substantia cogitans est physice simplex*. Qua enim ratione humana mens, eadem prorsus quævis alia substantia cogitans physicam compositionem excludit.

## P R O P O S I T I O VI.

*Mens humana est substantia spiritualis.*

47. Triplici medio, eoque fatis valido, nisi mea me fallat opinio, evincitur, humanam mentem esse substantiam spiritualem, ejusque naturam quasi, ut ita dicam, esse divinam.

## I.

48. Constat enim in primis, mentem humanam esse substantiam ejus naturæ, ut neque integrales habeat partes, in quas reipsa dividì

(a) Lib. X, *de Trinitate* num. 6. alias cap. 3.

vidi quēat (§. 38.), neque sit entitative extensa (§. 40.), néque operatur ea ratione atque lege, ut illius operationes per motionem corporiculorum ostendi a nobis recte possint, & explicari (§. 31.). Ergo humana mens est substantia spiritualis (§. 14.). Nec enim illud audiendum est, inquit S. Augustinus, quod quidam putaverunt, quantum quoddam esse corpus, unde sit anima, quod nec terra, nec aqua sit, nec aer, nec ignis, sive iste turbolentior, atque terrenus, sive ille cœlestis purus, & lucidus; sed nescio quid aliud, quod careat usitato nomine, sed tamen corpus sit. Si enim qui hoc sentiunt, hoc dicunt corpus, quod & nos, idest naturam quamlibet longitudine, latitudine, altitudine spatium loci occupantem, neque hoc est anima, neque inde facta credenda est. Quidquid enim tale est, ut multa non dicam, in quacunque sui parte lineis dividi, vel circumscribi potest (a).

## II.

49. Modus quo agit humana mens, ab eo penitus differt, quo corporea substantia operatur. Etenim primo, substantia corporea passiva indifferens adeo est ex suo genere ad motum & quietem, ut secluso extrinseco determinante, neque moveri queat, seu se determinare ad motum, dum est in quiete; neque, dum movetur, a motu cessare, in eodemque loco consistere. At humana mens ita seipsum ad cogitandum determinat, ut extrinseco agenti minime subjiciatur. Sentit animus se moveri, inquit Tullius, quod cum sentit illud una sentit, se sua vi non aliena moveri (b); utque habet Lactantius, animus sua sponte & cogitat, & movetur (c). Secundo: vis motiva corporeæ substantiæ continuo languescit, ac demum prorsus extinguitur; contra vero cognoscitiva humanæ mentis potentia tantum abeat, ut exercitio minuatur, quin potius crescat quodammodo, validiorque fiat. Potentia animæ, atque virtutes, inquit Auctor libri de spiritu & anima cap. 30., longa exercitatione, & successu temporum crescunt, unde mens, ratio, & consilium in senibus est, teste Tullio (d). Tertio: potentia quævis corporea, ut experientia vel evidentissime constat, plerumque lœditur a suo objecto, quinimo, si nimis vehemens illud fuerit, penitus etiam extinguitur; si vero fuerit debile, ne leviter quidem ab illo immutatur. Nequit enim visus purissimam Solis lucem sustinere, neque a minima affici. At mens perfectius veritatem aspicit, quo fuerit clarior; in eaque contemplanda, quæ summa est,

*Phil. Ment. T. II.*

H 3

nul-

(a) Lib. VII. super Genesim ad litteram num. 27. alias cap. 21.

(c) Lib. de Opificio Dei cap. 16.

(b) Lib. I. qq. Tuscul. cap. 24.

(d) Lib. de Senectute cap. 19.

nullam vel minimam læsionem patitur, quinimo delectatur quammaxime, & beata efficitur. Quemadmodum illi, inquit S. Augustinus, qui in luce Solis eligunt, quod libenter adspiciant, & eo adspectu latifificantur, in quibus si qui forte fuerint vegetioribus, sanisque & fortissimis oculis prædicti, nihil libentius, quam ipsum Solem, contuentur, qui etiam cetera, quibus etiam infirmiores oculi delectantur, illustrat: sic fortis acies mentis & vegeta, cum multa vera & incommutabilia certa ratione conspexerit, dirigit se in ipsam veritatem, qua cuncta monstrantur, eique inhærens tamquam obliviscitur cetera, & in illa simul omnibus fruitur. Quidquid enim jucundum est in ceteris veris, ipsa utique veritate jucundum est (a). Quarto: quæ corpori inhærent vires, quæque ab illo potentia dependent, nonnisi circa ea, quæ sibi præsentia sunt, certisque locis circumscripta, & definita temporibus, versari possunt, adeo nempe ut neque futura potentias ipsas vel leviter moveant, neque præterita afficiant. Contra vero humana mens præterita æque prorsus ac ea, quæ coram existunt, scrutatur intueturque, neque ipsam plane latent futura. Diffusis cogitationibus atque consiliis, ait Auctor lib. de spiritu & anima cap. 2., huc atque illuc vagatur mens. Considerat, & spectat omnia. Videt absentia, transmarina visu ambit, & percurrit adspicere, abdita scrutatur, & uno momento sensus suos per totius orbis fines & mundi secreta circumfert. Descendit ad inferna, ascendit inde, versatur in cælo, adhæret Christo, conjungitur Deo; utsore anteac scripsicerat Tullius, inter hominem, & belluam hoc maxime interest, quod hæc tantum, quantum sensu movetur, ad id solum, quod adest, quodque præsens est, se accommodat, paululum admodum sentiens præteritum, aut futurum. Homo autem, quoniam rationis est particeps, consequentia cernit, principia & causas rerum videt, earumque progressus, & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, & rebus præsentibus adjungit, atque annexit futuras; facile totius vita cursum videt, ad eumque regendum præparat res necessarias (b). Quinto: celeritas mentis in cogitando tanta est, quanta in corporeis potentiis haberi nullatenus potest. Nulla est celeritas, teste Tullio, quæ possit cum animi celeritate contendere (c); & jure quidem. Fertur enim mens cogitatione sua de loco in locum, quin interjectum spatiū eadem ipsa cogitatione perlustrare cogatur; nihilque est, quod vim illam mentis nedum impedire, sed ne retardare quidem possit, non potest aliquis non admirari, inquit Lactantius, quod sensus ille

vi-

(a) Lib. II. de libero arbitrio num. 36.  
alias cap. 13.

(c) Lib. I. qq. Tuscul. cap. 19.

(b) Lib. I. de Officiis cap. 4.

vivus atque cœlestis, qui mens, vel animus nuncupatur, tantæ mobilitatis est, ut ne tunc quidem, cum sopitus est, conquiescat, tante celeritas, ut uno temporis puncto cœlum omne collustret, & si velit, maria pervolet; terras ac urbes peragret, omnia denique, quæ libuerit, quamvis longe lateque summota sint, in conspectu sibi ipse constituant (a). Postremo, nulla potentia corporea ita operatur, ut simul ea ipsa sit sui ipsius, suarumque operationum conscientia. Cum colorem sentimus, inquit S. Augustinus, non itidem sensu ipso nos sentire etiam sentimus; neque cum audimus sonum, nostrum etiam audimus auditum; neque cum olfactimus rosam, olet nobis aliquid & ipse olfactus; neque quidquam gustantibus sapit in ore ipse gustus; nec tangentes aliquid, ipsum etiam tangendi sensum possumus tangere; ut proinde res sit perspicua, quinque istos sensus nullo eorum sensu posse sentiri, quamvis eis corporalia quæque sentiantur (b). At vero mens quadam interiori, non simulata, sed vera præsentia, videt se in se. Nam cognoscit se vivere, se meminisse, se intelligere, se velle, cogitare, scire, judicare (c). Memini, me habere memoriam, & intelligentiam, & voluntatem, ait laudatus S. Doctor, & intelligo me intelligere, & velle, atque meminisse, & volo me velle, & meminisse & intelligere, totamque meam memoriam, & intelligentiam, & voluntatem simul memini. Quod enim memoria mea non memini, non est in memoria mea. Nihil autem tam in memoria, quam ipsa memoria est. Totam igitur memini. Item quidquid intelligo, intelligere me scio, & scio me velle, quidquid volo. Quidquid autem scio, memini. Totam igitur intelligentiam, totamque voluntatem meam memini (d). Itaque, si in modo operandi adeo differt humana mens a corporeis quavis potentia, ut nihil prorsus cum illa commune habeat, manet perspicuum, mentem ipsam præstantioris esse naturæ, ac sit substantia materialis, ac proinde eam non corpus esse, sed spiritum. Neque enim aliud adest medium, quo essentialie rerum discrimen evidentius dignosci a nobis possit, certiusque determinari.

## III.

50. Postremum momentum ex artium disciplinarumque inventione desumitur. Id autem tanta evidentia ostendit, prope divinam esse humanæ mentis vim, atque naturam, ut rem ipsam veluti ob oculos ponat. Cum videmus, inquit elegantissimus Cicerô, speciem pri-  
mum, candoremque cœli, deinde conversionis celeritatem tantam, quan-

H 4

tam

(a) Lib. de Opificio Dei cap. 16.

(c) Auctor libri de spiritu &amp; anima c. 32.

(b) Lib. II. de libero arbitrio num. 36., alias cap. 13.

(d) Lib. X. de Trinitate num. 14. alias cap. 11.

*tam cogitare non possumus; tum vicissitudines dierum atque noctium, commutationesque temporum quadripartitas ad maturitatem frugum, & ad temperationem corporum aptas, eorumque omnium moderatorem, & ducem Solem, Lunamque accretione & diminutione luminis, quasi fastorum notantem, & significantem dies..... possumusne dubitare, quin his praest aliquis vel effector, si haec nata sunt, ut Platoni uidetur; vel si semper fuerint, ut Aristoteli placet, moderator tanti operis & muneris? sic mentem hominis, quamvis eam non videoas, ut Deum non vides, tamen, ut Deum agnoscis ex operibus ejus, sic ex memoria rerum, & inventione, & celeritate motus, omnique pulchritudine virtutis vim divinam mentis agnoscito (a). Itaque, ut ad rem veniamus, prater artes bene vivendi (verba sunt S. Augustini) & ad immortalem pervenienti felicitatem, quae virtutes vocantur, & sola Dei gratia, quae in Christo est, filiis promissionis regnique donantur, nonne humana ingenia tot tantaque artes. sunt inventae & exercitae, partim necessaria, partim voluntarie, ut tam excellens vis mentis, atque rationis in his etiam rebus, quas superfluas, imo & periculosas perniciasque appetit, quantum bonum habeat in natura, unde ista potuit vel invenire, vel discere, vel exercere, testetur? Vestimentorum & adficiarum ad opera quam mirabilia, quam stupenda, industria humana pervenerit; quo in agricultura, quo in navigatione profecerit: quo in fabricatione quorumque vasorum, vel etiam statuarum, & picturarum varietate excogitaverit & impleverit; quo in theatris mirabilia spectantibus, audientibus incredibilia facienda & exhibenda molita sit: in capiendis, occidendis, domandis irrationalibus animantibus, quae, & quanta repererit: adversus ipsos homines tot genera venenorum, tot armorum, tot machinamentorum, & pro salute mortali tuenda atque reparanda quot medicamenta atque adjumenta comprehenderit: pro voluptate faucium, quot condimenta & gula irritamenta repererit: ad indicandas & suadendas cogitationes quam multitudinem varietatemque signorum, ubi praecipuum locum verba & litterae tenent; ad delectandos animos, quos elocutionis ornatus, quam diversorum carminum copiam ad mulcendas aures, quot organa musica, quos cantilenae modos excogitaverit: quantam peritiam dimensionum atque numerorum, meatusque & ordines siderum quanta sagacitate comprehendenterit: quam multa rerum mundanarum cognitione se impleverit, quis possit eloqui, maxime si velimus non aceruatim cuncta congerere, sed in singulis immorari? In ipsis postremo erroribus & falsitatibus defendendis, quam magna claruerint ingenia Philosophorum atque hereticorum, quis estimare sufficiat? Loquimur enim nunc de natura mentis humanae, qua ista vi-*

12

(a) Lib. I. qq. Tuscul. cap. 28. &amp; 29.

ta mortalis ornatur, non de fide atque itinere veritatis, qua illa immortalis acquiritur (a). Audisti ergo, ut cum eodem loquar, quanta vis sit animæ ac potentia, quod ut breviter colligam, quemadmodum fatendum est, animam humanam non esse, quod Deus est, ita presumendum, nihil inter omnia, quæ creavit, Deo esse propinquius (b). Profecto & ipse summus Orator æque ac Philosophus Tullius fassus aperte est, nunquam fore, ut tot a nobis invenirentur artes, & disciplinæ, quæ inventæ jam sunt, nisi aliquid in nobis esset sublime prorsus, & plane divinum. Præstantioribus enim artibus, ac disciplinis, quas hominis ingenium excogitavit, perfecitque enumeratis, prorsus, inquit Vir summus, hac divina mihi videtur vis, quæ tot res efficiat, & tantas. Quid est enim memoria rerum & verborum? quid porro invenio? profecto id, quo nec in Deo quidquam majus intelligi potest. Non enim ambrosia Deos, aut nectare, aut Juventute pocula ministrante, lætari arbitror: nec Homerum audio, qui Ganymedem a Diis raptum ait propter farmam, ut Jovi bibere ministraret. Non justa causa, cur Lao-medontitanta fieret injuria. Fingebat hæc Homerus, & humana ad Deos transferebat: divina mallem ad nos. Quæ autem divina? saepere, invenire, meminisse. Ergo animus, qui ut ego dico, divinus est; ut Euripides audet dicere, Deus: & quidem si Deus aut anima, aut ignis est, idem est animus hominis. Nam ut illa natura cœlestis, & terra vacat, & humore, sic utriusque harum rerum humanus animus est expersus: si autem est quinta quadam natura ab Aristotele inducta primum, hæc & Deorum est, & animorum (c). Quis igitur, ut loquar cum Laetatio, tam indoctus est, ut nesciat? quis tam imprudens, ut non sentiat, aliquid inesse in homine divini? Nonne ipsius corporis status, & oris figura declarat, non esse nos cum mutis pecudibus æquales? Illarum natura in humum, pabulumque prostrata est, nec habet quidquam communem cum cœlo, quod non intuetur. Homo autem recto statu, ore sublimi, ad contemplationem mundi excitatus, confert cum Deo vultum, & rationem ratio cognoscit (\*). Propterea nullum est animal, ut ait

G.

(a) Lib. XXII. de Civitate Dei cap. 24. n. 3.

(b) Lib. de quantitate anime n. 77. alias c. 34.

(c) Lib. I. qq. Tuscul. cap. 26.

(\*) Hominem natura non solum celeritate mentis ornavit, sed etiam lensus, tamquam satellites, attribuit, ac nuntios: &amp; rerum plurimarum obscuras, &amp; necessarias intelligentias endudavit, quasi fundamenta quædam scientiæ; figuramque corporis habilem &amp; aptam ingenio humano dedit. Nam

cum ceteros animantes abiecisset ad pastum, solum hominem erexit, ad cœlique, quasi cognitionis domiciliiq; pristini conspectum excitavit; tum speciem ita formavit oris, ut in ea penitus reconditos mores effingeret. Nam &amp; oculi nimis arguti quemadmodum animo affecti simus, loquuntur; &amp; is, qui appellatur stultus, qui nullo in animante esse, præter hominem, potest, indicat mores. Tullius lib. I. de Legibus cap. 9.

Cicero (\*), præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei. Solus enim sapientia instructus est, ut religionem solus intelligat; & haec est hominis, atque mutorum vel præcipua, vel sola distantia (a).

### C O R O L L A R I U M I.

51. Est igitur humana mens, ut eam præclare explicat Auctor libri de spiritu & anima cap. 24., substantia spiritualis, simplex, & indissolubilis, invisibilis, & incorporea, passibilis, atque mutabilis, carente pondere, figura, & colore.

### C O R O L L A R I U M II.

52. Cum tanta evidentia, quanta in rebus physicis esse potest, ostensum fuerit naturali ratione, mentem humanam esse substantiam spiritualem, stat, evidenter constare, evidentia physica, & quidem sola attenta ratione naturali, materialismum esse falsam hypothesim.

### C O R O L L A R I U M III.

53. *Homo intrinsecus componitur ex substantia spirituali, & corporeo.* Ex corpore siquidem, atque mente ipsum intrinsecus coalescere, certum est.

### C O R O L L A R I U M IV.

54. *Substantia cogitans est spiritualis.* Demonstravimus enim, cogitandi vim materiali substantiae minime posse competere. Hinc

### C O R O L L A R I U M V.

55. Rectissime dicitur, *spiritualem substantiam eam esse, quæ cogitat.* Sola enim cogitatio illud est, ex quo evincitur, extare substantiam spiritualem.

Co-

(a) Libri de ira Dei cap. 7.

(\*) Ex tot generibus nullum est animal, præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei. Lib. I. de Legibus cap. 8.

O rem dignam, in qua non modo homines, sed ipsas etiam pecudes obstupelcere, ac, si fieri possit, etiam erubescere oportet.

teat cognatum esse hominem Deo: nullum aliud in terris animal, nisi hominem solum, Dei cognitione imburum esse, nec quidquam esse aliud, quod animo e divina mente hau- sto, prædictum sit. Auctor libri de consola- tione Ciceroni vulgo adscripti.

## C O R O L L A R I U M VI.

56. Dividere substantiam in *cogitantem*, & *extensam*, perinde est, ac eam dividere in *spiritualem*, & *corpoream*. Sicuti enim omnis substantia extensa corporea est, quodque primo in ea attingitur, est *solida extensio*; ita omnis substantia cogitans est *spiritualis*, & quod nobis in illa primo relucet, est *cogitatio*. Nulla quoque substantia spiritualis est nobis nota, quæ non cogitet, quemadmodum nullam substantiam corpoream existere scimus, quæ non sit ipsa sua natura *impenetrabiliter extensa*.

*Objecta diluuntur.*

Opponitur primo, non unum esse ex vetustissimis Ecclesiae Patribus, qui humanam mentem dixerit corporeæ esse naturæ. Tertullianus quippe id in primis docet aperte, & quidem non uno loco. Etenim lib. de *anima* cap. 7., igitur, si quid tormenti, inquit, *sive solatii anima* percepit in carcere, seu diversorio inferum, in igne, vel sinu Abrahe, probata erit corporalitas animæ. Incorporalitas enim nihil patitur, non habens, per quod pati possit, aut si habet, hoc erit corpus. In quantum enim omne corporale passibile est, in tantum quod passibile corporale est. Lib. de carne Christi cap. 2. ait: si habet aliquid, per quod est (anima), hoc erit corpus ejus. Omne, quod est, corpus est sui generis. Nihil est incorporeale, nisi quod non est. Demum lib. de *resurrectione carnis* hæc habet: nos autem animam corporalem & hic profitemur, & in suo volumine probamus, habentem proprium genus substantivæ soliditatis, per quam quid & sentire, & pati possit. S. Hilarius cap. 5. in *Mattæum* sic ait: Nihil est, quod non in substantia sua & creatione corporeum sit, & omnium *sive in cælo*, *sive in terra*, *sive visibilium*, *sive invisibilium*, elementa formata sunt. Nam & animarum species, *sive obtaininentium corpora*, *sive corporibus exulantium*, corpoream tamen naturæ suæ substantiam sortiuntur; quia omne, quod creatum est, in aliquo sit, necesse est. Auctor demum libri de *spiritu & anima* cap. 18. hæc habet: Nihil invisibile & incorporeum natura credendum est, prater solum Deum, idest, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Irenæus quoque, Origenes, Tatianus, Cassianus, & etiam S. Ambrosius non secus de natura mentis humanæ sensisse dicuntur. Ergo &c.  
R. nego atq; si unum excipias Tertullianum. Qui enim, hoc secluso

cluso, humanam mentem corpoream esse dicunt naturae, nonnisi improprie materialem substantiam sumunt, scilicet pro eo, quod temporum, locorumque limitibus circumscripsum existit; non autem pro ea re, quae natura sua solida est, atque ita quoad suam entitatem extensa, ut secundum trinam dimensionem re ipsa possit secari. Patet ex ipso Auctore libri de spiritu & anima cap. 18. Is enim, postquam dixit, nihil invisibile & incorporeum natura credendum esse, praeter solum Deum, statim addit, Deum ex eo incorporeum & invisibilem nuncupari, quia infinitus, & incircumscriptus, simplex, & sibi omnibus modis sufficiens, seipsum sustinet, & id ipsum. Et cum ubique sit, in semetipso invisibilis & incorporeus esse dicitur. Omnis vero rationalis creatura corporea est, Angeli, & omnes virtutes corporeae sunt, licet non carne subsstant. Ex eo enim intellectuales naturas corporeas esse dicimus, quia loco circumscribuntur, sicut & anima humana, quae carne clauditur, quae idcirco & esse in loco, & localis dici potest: in loco, quia hic, aut alicubi præsens est: localis, quia quod alicubi præsens est totum, alibi non est. Non habet tamen corporalem dimensionem, nec corporalem circumscriptionem, quoniam corporalis quantitatis expers est. Sed quia per præsentiam & operationem in loco concluditur, localis & ipsa dicitur; verumtamen non sicut corpus, cui secundum locum principium, medium, & finis assignatur. Respectu vero naturae incorporeae, quae summe incommutabilis ubique est, corporea est anima, quia tale aliquid non est ipsa; nec tamen per loci spatium ita sistitur, vel movetur, ut majori sui parte majorem locum occupet, & breviore breviorum, minorque sit in parte, quam in toto. Hanc autem doctrinam desumtam esse ex S. Augustino, videtur perspicuum. Ad Hieronymum quippe scribens S. Doctor: ait, incorpoream esse animam, et si difficile tardioribus persuaderi potest, mihi tamen fateor esse persuasum. Sed ne verbi controversiam vel superfluo faciam, vel merito patiar, quoniam, cum de re constat, non est opus certare de nomine, si corpus est omnis substantia, vel essentia, vel si quid aptius nuncupatur id, quod aliquo modo est in seipso, corpus est anima. Item si eam solam incorpoream placet appellare naturam, quae summe incommutabilis, & ubique tota est, corpus est anima, quoniam tale aliquid ipsa non est. Porro si corpus non est, nisi quod per loci spatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita sistitur, vel movetur, ut majori sui parte majorem locum occupet, & breviore breviorum, minusque sit in parte, quam in toto, non est, corpus anima (a).

Non secus porro de humanæ mentis natura etiam S. Hilarius sensisse, ex eo constare satis puto, quod habet ipse S. Doctor in

Psal-

(a) Epist. CLXVI. num. 4. alias XXVIII. cap. 2.

*Psalmum 129. num. 6. Inquit enim: ergo ad imaginem Dei homo interior effectus est, rationabilis, mobilis, movens, incorporeus, subtilis, aeternus..... Sed anima humana in hac sensu sui mobilitate ad imaginem Opificis sui facta est, dum naturam Dei mobilitas animæ perennis imitatur, nihil in se habet corporale, nihil grave, nihil caducum.*

Dixi, unum excipiendum esse Tertullianum. Nimis quippe aper-  
tum est, eum hac in parte errasse. Plus enim æquo credulus foro-  
ris nescio cuiusdam nocturnæ visioni, ait, rationalem animam visam  
ab ea fuisse teneram, lucidam, & aerei coloris, & forma per omnia hu-  
mana (a); ac proinde, ut alibi dixerat, substantivæ ipsam esse solidi-  
tatis (b). Corpoream porro substantiam ab eo sumi proprie & in ri-  
gore, pro substantia nimirum extensa & divisibili, non autem im-  
propriæ & lato modo, scilicet pro substantia loco atque tempore cir-  
cumscripta, patet ex S. Augustino. Is enim loquens de opinione  
Tertulliani ponentis Deum esse corporeum: posset, inquit, quoquo-  
modo putari, ipsam naturam substantiamque Divinam corpus vocare, non  
tale corpus, cuius partes aliae majores, aliae minores valeant vel debeant  
e cogitari, qualia sunt omnia, quæ proprie dicimus corpora, quamvis de  
anima tale quid sentiat (c). Neque mirandum, ait idem S. Doctor  
ad Optatum scribens, id somniasse Tertullianum; quippe qui, etiam  
ipsum creatorem Deum non esse nisi corpus, opinatur (d).

Dices, ex ipsa etiam Divina Scriptura satis colligi, hominis  
animam esse corpoream. Etenim Levitici cap. 17. ter dicitur, ni-  
mirum semel v. 11., & bis v. 14., animam omnis carnis in sanguine  
esse, sive a sanguine nequaquam distingui. Ergo non solum  
culpandus non est Tertullianus, quod rationalem animam dixerit  
esse corpoream, verum etiam contrarium dici nequit, quia Deus  
laudato Levitici loco errasse dicatur.

R. nego *añs*, & *disting. añs probationis*, anima omnis carnis in san-  
guine est, adeo nempe ut a sanguine nullatenus distinguatur, nego  
*añs*. Anima omnis carnis in sanguine est, hoc est, primo & princi-  
paliter dependet a sanguine, *concedo añs*, & nego *conseq.* Anima er-  
go dicitur esse in sanguine, non quia nihil ipsa sit a sanguine di-  
stinctum; sed quia, cum a sanguine maxime dependeat, ut omnibus  
notum est, animalium vita, ideo anima per sanguinem designa-  
tur, quodque videri nequit, per illud, quod videtur, exprimitur.  
*Sic dictum est*, inquit S. Augustinus, *anima omnis carnis est san-  
guis*, *quomodo dictum est*: petra erat Christus, scilicet non quia  
hoc

(a) Lib. de anima cap. 9.

(b) Lib. de resurrectione carnis.

(c) Lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum c. 86.

(d) Epist. 190. n. 14. alias Epist. 157. cap. 4.

*hoc erat, sed quia hoc significabatur. Non autem frustra lex animam voluit significare per sanguinem, rem scilicet invisibilem per rem visibilem? quia sanguis per venas omnes ab ipso corde diffusus, in nostro corpore plus ceteris humoribus principatur, itant ubicunque fuerit vulnerum inflictum, non humor alius, sed ipse procedat: ita quoque anima, quia omnibus, quibus constamus, invisibiliter praevalet, illo melius significatur, quod omnibus, quibus constamus, visibiliter praevalet (a). Videlur quoque dici posse, animam non omnis carnis, atque adeo neque hominis, sed belluarum dumtaxat, in sanguine residere. Etenim certum in primis est, Deum non loqui hoc loco, nisi de bestiis. Agit enim de iis animalibus, quibus permittebat Hebraeis ut vescerentur. Secundo: quia cap. 12. Deuteronomii, sanguis non dicitur belluarum anima, sed tantum illis esse pro anima, quasi significare voluisse summus rerum Opifex, sanguinem, loco animæ, belluis contulisse, hoc est, illarum vitam eodem modo a sanguine dependere, quo vita hominis ab illo pendet spiraculo, quod inspiravit in illius faciem Creator optimus, dum ipsum condidit.*

*Opponitur 2. Anima rationalis in corpore recipitur, in eoque se habet perinde hac forma in subjecto. Concipi autem nullatenus potest, quomodo, quod spirituale est, inextensem prorsus, atque indivisible, recipiatur in corpore, quod extensionem habet, & potest re ipsa in plures partes secari. Ergo humana mens non est spiritualis, sed ejusdem omnino naturæ, ac est subiectum, corpus scilicet, in quo recipitur.*

*Ré. Distinguo ma: anima rationalis recipitur in corpore, estque in illo, perinde ac forma in subjecto, adeo nempe ut illi inhæreat, nego ma: Est in corpore, ut in subjecto, quin tamen ipsi inhæreat, concedo ma: & prætermissa minori, nego conseq. Recipitur ergo anima rationalis in corpore, in eoque se habet, perinde atque forma in subjecto, quatenus nempe corpus ipsum, ut ait S. Augustinus, presentia sua vivificat, colligit in unum, atque in uno tenet, diffondere atque contabescere non finit; alimenta per membra æqualiter suis cunctis redditis distribui facit, congruentiam ejus modumque conservat, non tantum in pulchritudine, sed etiam in crescendo atque gignendo (b). Mens itaque non ea ratione corpus afficit, ut in illo penitus demergatur, ab eoque intrinsecus pendeat; sed ita, ut ei simul præfit, ac in ipsum, veluti domina, jus gerat atque imperium. Quamdiu, in eodem, inquit Plato, sunt anima, atque corpus, hoc quidem ser-*

(a) Lib. II. contra advers. legis, dñ Propb.

(b) Lib. de quantitate animæ n. 70. alias c. 33.

*servire; atque subesse, natura jubet; hanc vero præesse, atque dominari (a). Unde a S. Augustino definitur mens: substantia rationis particeps, regendo corpori accommodata (b).*

Missum porro feci, concipi a nobis nequaquam posse, quomodo mens humana, si spiritualis ponatur substantia, copulari corpori queat, unumque cum illo compositum intrinsecus constituere. Id enim ne levissime quidem nobis officit. Etenim numquid ideo, ut ait laudatus S. Doctor, *negandum est, quod apertum est; quia comprehendendi non potest, quod occultum est; Numquid propterea dicturi sumus, quod ita esse perspicimus, non ita esse; quoniam, cur ita sit, non possumus invenire (c)?* Humanam mentem esse substantiam altioris ordinis, præstantiorisque naturæ, quam sit corpus, ea evidenter nobis constat, quæ in physicis potest esse maxima. Latet vero, qua ratione mens ita sit ipsi corpori colligata, *ut nec cum velit, se inde segregare possit, nec retinere, cum sui Creatoris iussionem audierit (d).* Numquid ergo illud negandum est, licet perspicuum, quia hoc nequimus mente complecti? Profecto animo comprehendendi non potest (ut etiam ii, qui materialismum patrocinantur, velint nolint, fateri debent) quomodo materialis substantia valeat cogitare: igitur etiam materialismus hac una de causa est falsa hypothesis. *Plenum fuit miraculo, quod tam diversa, & tam divisa ab invicem, ad invicem potuerint conjungi (e).* Verum illud modo videto, ait Tullius, *ut Deum noris, et si ignores & locum & faciem; sic animum tibi tuum notum esse oportere, etiamsi ejus ignores & locum & formam (f);* atque adeo modum etiam, quo corpori copulatus est, unumque per se compositum cum illo constituit.

Dices: Inter corpus, & spiritum nulla datur proportio. Ergo, si humana mens esset substantia spiritualis, corpori copulari nequiret. Unitur autem. Ergo non est substantia spiritualis.

R. disting. ahs: inter corpus, & spiritum nulla datur proportio, hoc est, similitudo in natura, concedo ahs. Nulla datur proportio, hoc est, habitudo formæ ad subjectum, seu perfectivi ad perfectibile, nego ahs, & conseq. Verum est, corpus, & spiritum esse substantias genere diversas; ac proinde inter corpus, & spiritum eam non haberi proportionem, quam habent inter se duo entia ejusdem generis atque ordinis. At est falsum, inter corpus & spiritum proportionem illam haberi non posse, quæ satis est, ut corpus a spiritu perficiatur

(a) In Phædone.

(d) Auctor libri de spiritu & anima c. 18.

(b) Lib. de quant. animæ n. 22, alias c. 13.

(e) Ibidem cap. 14.

(c) Lib. de dono perseverant. n. 37, alias c. 14.

(f) Lib. I. qq. Tuscul. cap. 29.

tur, totumque per se unum ex illorum unionem consurgat. Huic enim non officit, spiritum esse substantiam alterius generis a corpore, praestantiorisque naturae. Quandoquidem etiam accidens ipso genere differt a substantia, & tamen substantia, & accidens ita uniri inter se mutuo possunt, ut haec ab illo determinetur, & perficiatur, simulque ambo unum totum constituant.

Opponitur 3. Anima rationalis crescit cum corpore, cum eoque debilitatur, fatigatque, & torpet: Crescit quippe in pueris, viget in juvenibus, debilitatur in senibus, fatigat & languet in laborantibus, torpetque adeo in profunde dormientibus, ut quasi extincta videatur. Ergo corporea est. Corporeum est enim, quidquid mutationes illas subit, quae corporis sunt propriæ.

R. nego ans. Vere enim cum corpore non crescit anima, neque cum illo torpet, licet in juvenibus sensim adolescere, debilitari in senibus, atque in infirmis languere videatur. Haec, atque hisce similia, non animæ vitia sunt, sed corporis. Crescere nimirum, vige-re, debilitari, atque torpere videtur anima; quia cum a corpore, quamdiu illi conjuncta est, tamquam ab eo, quod objectum, circa quod versetur, praebet, in operando mens ipsa dependeat, perfectius agit, & ideo videtur crescere, cum sensim perficitur corpus; imperfectius vero, perinde ac si reipsa debilior fieret, cum corpus vel corripitur somno, vel morbo afficitur. Nutus animæ ad movendum corporis pondus, inquit S. Augustinus, nervis, quasi tormentis uititur. Nervos autem vegetat, mobilioresque efficit siccitas, calorque moderatus, contra eos laxat atque infirmat humidus vigor. Itaque somno, quia eum frigidum & humidum dicunt Medici & probant, membra langescunt, atque ipse expergefactorum conatus multo est debilior, ideoque nihil est fractius, & enervius lethargicis. At quosdam phreneticos, quibus vigilia, & vini vis, & acuta febres, idest tot calida plus nimio nervos tendunt atque durant, majoribus viribus, quam integra valetudine, reluctari, & multa facere manifestum est, cum eorum corpus sit aegritudine attenuatus & exilius. Si igitur & nutu animæ, & nervorum quodam machinamento, & pondere corporis confundit haec, quæ vires vocantur, voluntas nutum exhibet, qui prior fit spe vel audacia; retunditur autem timore, sed multo magis desperatione; nam in metu cum aliqua spes subest, vehementiores vires apparere adsolent. Machinamentum configuratio quodam corporis coaptat, temperatio modificat valetudinis, confirmat exercitationis industria. Pondus dat moles membrorum, quam etas & nutrimenta comparant, instaurant autem sola nutrimenta. His omnibus qui aequaliter prævalet, mirandus est viribus,

& tanto est alius alio invalidior, quanto plus eum ista deficiunt... Quamobrem cum infanti puerō solum ad trahendum aliquid, vel repellendum nutus sit integer; nervi autem & propter recentem minusque perfectam conformatiōnēm inhabiles, & propter humorem, qui illi aetati exuberat, marcidi, & propter nullam exercitationem languidi; pondus vero adeo sit exiguum, ut ne ab alio quidem impactū graviter urgeat, opportuniusque sit ad accipiendo, quam ad inferendo molestiam: quis est, qui cum hæc omnia, quæ desunt, contulisse annos viderit, viresque per eos datas cognoverit, crevissé animam, quæ his in dies amplioribus utatur, recte ac prudenter existimet..... Deinde si anima crescit, vide quam sit inscitum, incrementa ejus de viribus corporis credere, de copia doctrinarum non credere, cum illis solum accommodet nutum, hoc sola possideat. At si crescere animam putamus, cum additur viribus, minui putanda est, cum demitur. Demitur autem in senecta, demitur in labore studiorum; atque his temporibus doctrina aggeri atque extrui solent; neque ullo modo eodem tempore simul augeri quidquam, & minui potest. Nullum igitur crescentis animæ argumentum est, vires in majori aetate majores (a). Ceterum fuse hac de re agemus suo loco, cum scilicet commercium mentis cum corpore explicabimus. Ex admirabili enim foedere, quod inter ipsam mentem, atque corpus constituit summus rerum Opifex, tota pendet ratio, cur, crescente corpore, adolescere anima, vigere vigente, eoque languente ipsa itidem languere, ac veluti minui videatur.

## SECTIO SECUNDA.

*An humana mens sit immortalis, num vero in morte  
una cum corpore pereat.*

57. **S**i qua in universa Philosophia habetur quæstio, viribus nervisque omnibus a nobis discutienda, ea certe est, in qua de animorum immortalitate disseritur. Nulla est enim, in qua Divini numinis colendi timendique ratio fortius evincatur, nulla, quæ ad definiendum summum hominis bonum, ejusque mores conformandos, recteque instituendos faciat magis, uberiorisque pertineat. Hinc omnibus Philosophiæ professoribus sapientissime præcepit olim Lateranense Concilium sub Julio II., & Leone X. celebratum, ut in demonstranda humanæ mentis immortalitate diligentius, quoad fieri posset.

*Phil. Ment. T. II.*

I

set.

(a) Lib. de quantitate animæ num. 38  
alias cap. 22.

set, incumberent, atque hanc ex præcipuis Catholicæ fidei veritatis unam, non auctoritate solum, verum etiam naturali ratione pro viribus stabilirent. Dixi autem: *non auctoritate solum, verum etiam naturali ratione.* Enimvero, cum ii, ut egregie more suo advertit doctissimus Melchior Canus, qui anima immortalitem inficiantur, nec Christo, nec Evangelio credant; ecclesiae vero, sanctorumque fidem pro nihilo putent; ita supervacaneum videtur esse, ex iis locis, quæ auctoritatem fidei continent, argumenta depromere. Nec conclusio hac proprie Theologica est, ut sit argumentationibus Theologiae confirmanda. Quia Theologia, qua ratione effectrix est, & agendi muneri incumbit, illa duo habet primaria fundamenta, Deum esse hominis & principium & finem, atque adeo procuratorem, esseque item animorum perpetuam vitam, in qua remunerat Deus sit inquirentium se. Quæ nisi fidelis penitus habeat infixa, & in animo quasi insculpta, non dico media, & finem consequi felicitatis suæ, sed ne ad Deum quidem accedere potest, ut ab eo media, finemque requirat. Cum igitur prima cujusque discipline principia, tamquam notissima anticipations, supponantur, nihil opus erit vel ea testimonia referre, quæ ex sacris litteris commemoravimus (a). In hac ergo disceptatione non auctoritatibus, sed principiis naturæ lumine notis insistendum pro viribus est, tamque grande negotium, quoad potest fieri, absolvendum. Itaque ut ad rem veniamus.

## I.

58. Sicuti non una fuit, quemadmodum superiori loco diximus, veterum Philosophorum de spiritualitate humanæ mentis opinio, ita neque fuit una eorum omnium de illius immortalitate sententia. Sunt, inquit Tullius, qui nullum censeant fieri discessum, sed una animum & corpus occidere, animumque cum corpore extingui. Qui discedere animum censem, alii statim dissipari, alii diu permanere, alii semper (b). Animatum cum corpore haudquam in morte perire, sed sempiternum ipsum esse, in æternumque victurum, Pherecydes Syrus primus inter Philosophos, si Tullio credimus (c), dixit. Non defuere tamen, quos inter Choerilus poeta, teste Laertio (d), qui Thaleti Milesio id primo acceptum retulerint. Pherecydem hac super re disputantem cum audisset Pythagoras Samius, disputationis novitate permotus

(a) Lib. XII. de locis Theol. cap. ultimo.

(b) Lib. I. qq. Tuscul. cap. 9.

(c) Ibidem cap. 16.

(d) In vita Thaletis.

tus, ex athleta, ut scribit S. Augustinus ad Volusianum (a), in Philosophum commutatus, id ipsum de animorum immortalitate & ipse sensit, etsi tamen in eo erraverit, quod animum, cum moritur homo, ex uno in corpus aliud transire fuerit opinatus. Trismegistum porro, Zoroastrem, Anaxagoram, Aratum, aliosque pene innumeros in Pherecydis de animorum immortalitate abiisse sententiam, nemini dubium. Inter hos tamen principem merito atque optimo sane jure tenet locum Socrates, divinus Plato, atque summus Orator Tullius. Ignorat nemo, quae supremo vitae die de animorum immortalitate Socrates differuerit. Cum enim pene manu jam mortiferum illud teneret poculum, locutus ita est, ut non ad mortem trudi, verum in celum videretur ascendere. Ita enim censebat, itaque differuit: duas esse vias, duplicesque cursus animorum e corpore excedentium. Nam, qui se humanis vitiis contaminavissent, & se totos libidinibus dedissent, quibus cœcati velut domesticis vitiis atque flagitiis se inquinavissent, vel republica violanda fraudes inexpiables conceperint, iis devium quoddam iter esse seclusum a concilio Deorum; qui autem se integros castosque servavissent, quibusque fuisset minima cum corporibus contagio, seque ab his semper se vocassent, essentque in corporibus humanis vitam imitati Deorum, his ad illos, a quibus essent profecti, redditum facilem patere (b). Nemo quoque nescit, quanto rationum pondere, animorum immortalitatem ostenderit Plato. Tot rationes attulit, inquit Tullius, ut velle ceteris, sibi certe persuasissime videatur (c). Fertur, teste S. Augustino, Ambraciota Cleombrotum, lecto Platonis libro, ubi de immortalitate animæ disputavit, se præcipitem dedisse de muro, atque ex hac vita migrasse ad eam, quam credidit esse meliorem. Nihil enim urgebat aut calamitatis, aut criminis, seu verum, seu falsum, quod non valendo ferre, se auferret; sed ad capescendam mortem, atque ad hujus vita suavia vincula rumpenda, sola adfuit animi magnitudo. Quod tamen magne potius factum esse, quam bene, testis ei potuit esse Plato ipse, quem legerat: qui profecto id præcipue potissimumque fecisset, vel etiam præcepisset, nisi ea mente, qua immortalitatem animæ vidit, nequaquam faciendum, quin etiam prohibendum esse, judicasset (d). Qua demum animi firmitate atque constantia, animorum immortalitatem tutatus fuerit Tullius, mirum dictu est. Credo, inquit, Deos immortales sparsisse animos in corpora humana, ut essent, qui terras tuerentur, quique cœlestium ordinem contemplantes, imitarentur cum vita modo atque constantia. Nec me solum ratio, ac disputatio im-

I 2

pulit,

(a) Epist. 287. alias 3. n. 12. alias cap. 3.

(c) Ibidem cap. 21.

(b) Tullius lib. I. qq. Tuscul. cap. 30.

(d) Lib. I. d. Civitate Dei cap. 12.)

pulit, ut ita crederem, sed nobilitas etiam summorum Philosophorum, & auctoritas. Audiebam Pythagoram, Pythagoricosque, incolas pene nostros, qui essent Italici Philosophi quondam nominati, num quam dubitasse, quin ex universa mente divina delibatos animos haberemus. Demonstrabantur mihi præterea, quæ Socrates supremo vita die de immortalitate animorum differuisse, is, qui esset sapientissimus oraculo Apollinis judicatus. Quid multa? sic mihi persuasi, sic sentio (a); & si in hoc erro, quod animos hominum immortales esse credam, libenter erro, nec mihi hunc errorem quo delector, dum vivo, extorqueri volo: si mortuus, ut quidam minuti Philosophi censem, nihil sentiam, non vereor, ne hunc errorem meum mortui Philosophi derideant (b). Tandem, si Platonis danda est fides, dubium esse nequit quin Pindarus, ceterique omnes, quicunque Poetarum divini iudicati sunt, habuerint pro re comperta, hominis animum in morte non extingui, sed immortalem ipsum esse, & sempiternum. Ferunt enim, inquit, hominis animum immortalem esse, eumque tum decedere, quod quidem mori vocant, tum iterum redire, interire vera nunquam: quam ob causam, vitam quam sanctissime agere monent (c).

## I I.

59. Contra vero nihil hominis superesse post mortem, una cum Leucippo, Democrito, aliisque ejusdem furfuris, si qui fuerunt, viris impiis, inique olim censuit Epicurus, contendens præterea, vanum esse, qui mortem se timere dicit, non quia præsens malore conficiatur, sed quia expectata, & futura contristet; nihilque ad nos pertinere, quod acerbissimum malorum sit, & horrendum maxime mors; quoniam, inquit, cum nos sumus, mors non adest; cum vero mors adest, nos jam non sumus (d). Non secus quoque de animi duratione senserunt Stoici, hoc tamen discrimine, ut putarent, indoctorum animas, utpote imbeciliores, soluto corpore, paulatim concidere; animas vero eorum, qui sapientia virtuteque claruere, utpote firmiores constantioresque, ad totius usque mundi conflagrationem esse duraturas. Stoici, inquit Plutarchus, animam corpore exuentem, si invalidior sit, una cum concrementis subsistere, cujusmodi esse imperitorum animas; si strenua sit, quales sunt sapientum, ad flagrantes usque naturas evadere (e). Quisquis demum tenuit, humanam mentem esse corpoream, non minus impie de illius fine opinatus est. Neque enim fieri potest, ut una

(a) Lib. de senectute cap. 21.

(d) Laertius in vita Epicuri.

(b) Ibidem cap. 23.

(e) Lib. IV. de placitis Philos. cap. 7.

(c) In Menone, sive de virtute.

una cum corporē non intereat in morte, quod eandēm cum illo naturam obtinuit. Hinc Tullius, si cor, inquit, aut sanguis, aut cerebrum est animus, certe, quoniam est corpus, interibit cum reliquo corpore; si anima est, fortasse dissipabitur; si ignis, extinguetur; si est Aristoxeni harmonia, dissolvetur (a). Porro inter omnes seu Græcos, seu Latinos, qui pessimam hanc, & si qua est alia, summa vituperatione dignam, Epicuri de animi mortalitate doctrinam amplexati fuere, celebres quammaxime sunt Titus Lucretius Carus, atque Plinius. Ille quippe non contentus, se pessime cum Epicuro de animi natura sentire, conatus est (b), frustra tamen, pluribus argumentis ipsum mortalem esse, ostendere. Hic vero tanta mordacitate contra animi immortalitatem scripsit (c), ut pudeat prorsus, hoc loco illius verba referre.

## III.

60. Hac vero super re quæ Aristotelis opinio fuerit, quodque iudicium, incertum est. Pessime de mentis humanæ immortalitate sensisse Aristotelem, tenent S. Justinus Martyr, uterque Gregorius, Nyssenus nempe, & Nazianzenus, aliqui non pauci, idque ex eo præsertim, quod lib. I. *Magnorum Moralium ad Nicomachum* cap. 10. Solonem redarguisse videatur, quod veram hominis felicitatem post mortem esse dixerit, & lib. III. cap. 6. expresse idem ipse docuerit, *nihil amplius homini mortuo contingere, neque bonum, neque malum*. Accedit, Alexandrum Aphrodisæum Aristotelis mentem ita semper esse interpretatum, quasi certa prorsus illius fuisset opinio, humanam mentem in morte plane extingui (d). At ex adverso, mentem ipsam minime ab Aristotele positam fuisse mortalem, sentiunt, post Theophrastum illius auditorem, Ammonius, Philoponus, Simplicius, aliqui præterea multi, quos inter Angelicus Doctor (e), & Albertus Magnus (f). Profecto, cum lib. II. de gen. animal. cap. 3., dixerit Aristoteles, mentem solam forinsecus advenire, eamque tantum divinam esse, utpote quod ejus actio nihil habeat cum corporis actione commune, extra dubitationis aleam videtur, mentem humanam, illius iudicio, esse substantiam spiritualem, atque hinc corruptioni haudquam obnoxiam. Demum Doctor Subtilis, Harvæus, Conimbricenses, & alii opinantur, Aristotelem nihil quidem certo hac super re determinasse, verum in eam propen-

*Phil. Ment. T. II.*

I 3

disse

(a) Lib. I. qq. *Tuscul.* c. 11.

(d) Apud Cœlum Rhodiginum lib. I. lett.

(b) Lib. III. *de rerum natura* a v. 418.

*Antiq. cap. 2.*

ad v. 842.

(e) Lib. II. *contra Gentes* cap. 79.

(c) Lib. VII. *Hist. Natural.* cap. 55.

(f) Lib. II. *de anima* cap. 20.

disse partem, quae humanae menti immortalitatem tribuit. Dubium est, ait Doctor Subtilis, quid Philosophus circa hoc sensit. Varie enim loquitur in diversis locis, & habuit diversa principia, in quorum aliquibus videtur sequi unum oppositum, in aliis aliud. Unde probabile est, quod in illa conclusione semper fuerit dubius, & nunc magis accedere ad unam partem, nunc ad aliam, juxta hoc, quod tractabat materiam consonam unius parti, magis quam alterius (a). Sit tamen Themistio credimus, de animorum immortalitate minime dubitavit Aristoteles. In Dialogo etenim quem ad Eudemum familiarem suum, cuius meminie Tullius lib. I. De divinatione cap. 25., & Plutarchus tum in vita Dionis, tum in consolatoria ad Apollonium, scripsit Peripateticorum Princeps, non tenuit solum, ut ipse refert Themistius (b), verum etiam multis demonstravit argumentis, humanam mentem haudquam in morte perire. Accedit, monumentis fuisse proditum, teste Cœlio Rhodigino, cum Philosophus hic extremo sibi ingruere præsensisset, dolore ac spe in lacrymas amplius profusum, prima causa misericordiam intensius implorasse (c): adnotatum quoque haberi in quadam libro, qui, ut ille idem ait, de pomo inscribitur, Scholasticos, qui morienti aderant Aristoteli, cum is jam expirasset, sic virum affatos & Qui Philosophorum animas excipit, & tuam colligat, in suis recondens thesauris, uti animam addecet recti hominis & perfecti, qualem te novimus (d), quæ prosector haud dixissent, si Aristotelis fuisse opinio, animum una cum corpore interire, penitusque in morte extingui. Hactenus quid hac super re senserint vetustiores Philosophi. Modo restat, ut videamus, quid sentire debeat animus docilis, & veritatis studiosus, non refractorius atque pertinax. Nec enim, si quis hujuscemodi occurrit, rem hanc cum illo agere mihi in animo est. Ut enim monuimus in Logica (§. 548.), refractorio & pertinaci satius est respondere antiquum illum sermonem: *Hæc mihi videntur, illa vero tibi.*

## DEFINITIO I.

61. *Intrinsicus incorruptibile* dicitur illud, quod perire non nisi per annihilationem potest. Sic angeli etenus dicuntur *intrinsicus incorruptibilis*, quatenus non nisi per annihilationem queunt interimi. Id ipsum quoque aperte constabit, si ad ea attendamus animum; quæ intrinsicæ.

(a) IV. Senten. Distin. 43. q. 2. §. Potest dici.

(b) Paraph. super III. de anima cap. 37.

(c) Lib. XVIII. lett. antiqu. cap. 33.

(d) Lib. XVIII. lett. antiqu. cap. 31.

*secus corruptibilitia ipsi dicimus. Contrariorum enim contraria ratio est; ac proinde etiam opposita explicatio.*

## C O R O L L A R I U M .

62. *Omnis substantia simplex est intrinsecus incorruptibilis. Hujuscemodi namque ipsa est, ut non nisi per annihilationem perire queat (P. I. §. 241.).*

## D E F I N I T I O . II.

63. *Illud vero dicitur non intrinsecus solum, verum etiam extrinsecus incorruptibile, quod est hujuscemodi, ut ipsum perire, omnino repugnet. Hinc*

## C O R O L L A R I U M .

64. *Solus Deus est intrinsecus simul atque extrinsecus incorruptibilis. Deus enim nulli subjectus est; cetera vero entia a Deo dependent, ut existant.*

## S C H O L I O N .

65. *Quod non intrinsece solum, verum etiam extrinsecus est incorruptibile, simpliciter; quod vero est incorruptibile tantum intrinsecus, incorruptibile secundum quid nuncupatur.*

## D E F I N I T I O . III.

66. *Illud vivens dicitur intrinsecus, sive natura sua, immortale, quod naturae viribus nequit vita privari. Sicuti enim mortale natura sua est, quidquid ita vivit, ut viribus naturae possit in eo vita extingui, ita ex adverso natura sua est immortale, quod naturae viribus eo pervenire nequit, ut nullam amplius valeat vitae functionem exercere.*

## C O R O L L A R I U M . I.

67. *Spectatis ergo viribus naturae, quod natura sua immortale est, in aeternum vivet. Etenim nunquam in eo extinguetur vita, si naturalium dumtaxat causarum ratio habeatur.*

## C O R O L L A R I U M II.

68. *Nihil potest esse natura sua immortale, nisi natura sua sit incorruptibile.* Quod enim natura sua corruptibile est, potest naturæ viribus deficere; ac proinde etiam vita privari.

## C O R O L L A R I U M III.

69. *Immortale natura sua non est, quod in vita functionibus exercendis, natura sua, atque adeo necessario, a corruptibili dependet.* Quod enim, ut vitaliter operetur, intrinsecus depender a corruptibili, eo potest naturæ viribus pervenire, ut vitaliter operari non amplius possit. Etenim si id corrumpatur, a quo illud, ut vivat, dependet, omnis vitalis actio, atque adeo etiam vita, in ipso deficiat, necesse est. Hinc

## C O R O L L A R I U M IV.

70. *Potest aliquod vivens esse intrinsecus incorruptibile, quin natura sua sit immortale.* Incorruptibile siquidem esse potest, simulque in vita functionibus exercendis a corruptibili intrinsecus dependere.

## D E F I N I T I O IV.

71. *Immortale non intrinsecus solum, verum etiam extrinsecus, vivens illud nuncupatur, quod a nullo prorsus extrinseco agente potest vita privari.* Hinc

## C O R O L L A R I U M .

72. *Hujuscemodi immortalitas solius Dei propria est.* Solus enim Deus, utpote solus simpliciter independens, ita vivit, ut a nullo prorsus agente possit in eo vita extingui. Hoc itaque sensu sumitur immortalitas a D. Paulo, cum solum Deum immortalem appellat (a).

## S C H O L I O N.

73. *Immortale tam intrinsecus, quam extrinsecus dicitur immortale simpliciter, dicitur vero immortale secundum quid, quod intrinsecus dumtaxat est immortale.*

ANI-

(a) Epist. I. ad Timothæum cap. 6. v. 16.

## ANIMADVERSIO I.

74. Cum quæritur, an humana mens sit immortalis, rēs est dumtaxat de immortalitate intrinseca. Dubitabit siquidem nemo, quin Deus, si velit, possit mentem ipsam in hominis morte perimere. Hinc rectissime Plato minores Deos, angelos scilicet, Deum sic alloquentem inducit: *Generati estis, immortales quidem, & tamen indissolubiles omnino non estis. Nec tamen unquam dissolvemini, nec mortis fatum subibitis. Nam voluntas mea majus præstantiusque vobis est vinculum ad vitam custodiendam, quam nexus illi, quibus estis tunc, cum gignebamini, colligati* (a).

## ANIMADVERSIO II.

75. Ut humana mens natura sua immortalis evincatur, ostendere minime sufficit, quemadmodum recte observat Cl. Volfius (b), eam natura sua esse incorruptibilem, sive una cum corpore in morte haudquaquam perire. Non enim ex intrinseca illius incorruptibilitate adeo aperte sequitur, ipsam post mortem vivere, ut a nemine prorsus id vocari in dubium possit. Erit fortasse, qui utique dabit, mentem natura sua superesse post mortem; at ibit inficias, eam tunc vita donari. Epicureis prosector, aliisque ejusdem furfuris, perinde est, sive humana mens, dum moritur homo, una cum corpore dissipetur, & pereat, sive maneat corpori post mortem superstes, dummodo id unum illis detur, vitam, sive cogitandi potentiam in ipsa mente aut prorsus per mortem desistere, aut adeo impediri, ut nihil intelligere, nihilque velle aut nolle tunc ipsa possit. Adhuc quippe stat, quod viribus nervisque omnibus sibi, aliisque suadere nituntur, nihil scilicet superesse post mortem sive boni, sive mali, quo ita affici tunc queat mens, ut vel delectetur & gaudeat, vel tristetur & doleat.

## ANIMADVERSIO III.

76. Ut ergo quæstioni de humanæ mentis immortalitate fiat satis, ostendendum est primo: *mentem ipsam natura sua corpori superesse post mortem*. Secundo: *eam sejunctam a corpore perinde prorsus, ac dum illi*

(a) In *Timæo*.(b) *Psychol. ration.* f. 739.

*illi copulata est, ne dicam perfectius, cogitare & vivere. Postremo, neque Dei voluntate, humanam mentem unacum corpore in morte perire.*

### HYPOTHESIS.

77. *Nullum agens creatum annihilandi vim habet. Solius quippe Dei id proprium est, quemadmodum ei tantum competit, res ex nihilo condere. Hinc*

### COROLLARIUM,

78. *Nulla substantia simplex interimi potest ab agente creato. Hac enim nonnisi per annihilationem potest perire (P.I. §. 241.).*

### PROPOSITIO I.

*Mens humana, ipsa sua natura, corpore non indiget, ut existat.*

79. *Probatur. Mens humana opus non habet subjecto, ut existat (§. 33.). Ergo neque corpore. Etenim a corpore, nonnisi tamquam a subjecto, potest humana mens dependere.*

*Confirmatur. Cum enim mens sit substantia spiritualis (§. 47.), praestantis adeo est naturæ, ut, quemadmodum egregie ait Plato, maxime cognata sit cum ente puro, sempiterno, & immortali (a), eamque Tullius juraret esse divinam (b). Ergo fieri minime posse videtur, ut a corpore, quod ab ente puro maxime distat, mens ipsa in existendo natura sua dependeat.*

### COROLLARIUM.

80. *Humana itaque mens potest, natura sua, a corpore separata existere. Unum quodque enim sine eo existere naturaliter potest, a quo, ut existat, intrinsecus non dependet.*

### PROPOSITIO II.

*Mens humana perire nequit per dissolutionem partium.*

81. *Probatur. Mens humana est substantia intrinsecus indivisibilis (§. 38.). Ergo partium dissociatione perire haud potest. Hinc Tullius,*

(a) In Phædono.

(b) Lib. I. qq. Tuscul. cap. 25.

Ius, in animi, inquit, cognitione dubitare non possumus, nisi plane in physicis plumbei sumus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex: quod cum ita sit, certe nec secerni, nec dividii, nec discripsi, nec distrahi potest: nec interire igitur. Est enim interitus quasi discessus, & secretio, ac direptio earum partium, qua ante interitum junctione aliqua tenebantur (a).

## C O R O L L A R I U M .

82. Hinc eodem modo perire nequit humana mens, quo mixta quæque, ac proinde etiam humanum corpus, intereunt. Hæc enim omnia, ut constat ex Physica, partium dissociatione dissipantur & pereunt.

## P R O P O S I T I O III.

*Mens humana est substantia intrinsecus incorruptibilis.*

83. Probatur. Mens humana est substantia simplex (§. 44.). Ergo est intrinsecus incorruptibilis (§. 62.).

## C O R O L L A R I U M I.

84. Humana itaque mens non nisi per annihilationem potest perire (§. 61.).

## C O R O L L A R I U M II.

85. Perire nequit humana mens per actionem agentis creati. Humana siquidem mens non nisi per annihilationem perire potest (§. 84.). Hæc autem creati agentis vim superat (§. 77.). Ergo nequit humana mens per hujuscemodi agentis vim actionemque perire.

## S C H O L I O N.

86. Id ex eo etiam immediate patet, quod mens humana sit substantia simplex (§. 62.).

## C O R O L L A R I U M III.

87. Natura itaque sua manet humana mens corpori post mortem superest. Manet quippe natura sua superest post mortem, si ipsa sua natura

(a) Lib. I. qq. Tuscul. cap. 19.

tura neque dependeat a corpore, ut existat; neque per actionem agentis creati ea possit in morte perire.

## PROPOSITIO IV.

*Humanamens potest natura sua, etiam a corpore separata, cogitare.*

88. Hæc propositio maximi, ut ex dictis patet, momenti est. Quamobrem accuratius, quoad potest fieri, est demonstranda. Itaque

## I.

89. Mens humana potest ipsa sua natura a corpore separata existere (§. 79.). Ergo sejuncta a corpore potest etiam cogitare. Ut enim habet vulgare proloquium, omnium Philosophorum consensu merito optimoque jure probatum, operatio sequitur esse; modusque operandi ita ex lege natura consequitur modum essendi, eique respondet, ut eo modo, quo existere potest res, & re ipsa existit, operari illa possit, & operetur re ipsa. Et sane, naturalis capacitas existendi sine corpore esset in humana mente prorsus frustranea, si a corpore sejuncta, operari mens ipsa, seu cogitare nequirit. Nec enim puto esse, qui velit, animam rationalem, dum ab uno corpore per mortem soluta est, corpus aliud assumere, novumque constituere hominem, atque ita deinceps, ne unquam scilicet otiosa consistat, quemadmodum olim somniavit ille, qui dicebat, se primo fuisse Æthalidem, postea Euphorbum, deinde Hermotimum, tum Pyrrhum, ac deinde post Pyrrhi mortem factum esse Pythagoram (a). Quæ enim feruntur accidisse, inquit S. Augustinus, ut quidam quasi recordarentur, in quorum animalium corporibus fuerint, aut falsa narrantur, aut ludificationibus dæmonum hoc in eorum animis factum est. Si enim contingit in somnis, ut fallaci memoria quasi recordetur se homo fuisse, quod non fuit, aut egisse, quod non egit, quid mirum, si quodam Dei justo occulto que judicio finuntur dæmones in cordibus etiam vigilantium tale aliquid posse (b).

## II.

90. Si nihil impedit, quominus humana mens a corpore separata existat, nihil itidem est, quod ne ipsa cogitare tunc possit, jure prohibeat. Certum est enim, cogitationem esse operationem omni-

no

(a) Apud Laertium lib. VIII. *in vita Pitagoræ.*

(b) Lib. VII. *de Genesi ad litteramnum. 16.*  
alias cap. 11.

no spiritualem; ac proinde ex suo genere independentem a materia non solum ut a principio, verum etiam ut a conditione intrinsecus, atque adeo necessario, prærequisita. Constat quoque, separatae menti non deesse objectum, circa quod cogitando versetur. Ipsa enim sibi semper præsto est, & quidem adeo, ut, quemadmodum egregie advertit S. Augustinus (a), nihil illi adsit intimius. Nulla quoque corporea imagine indiget, ut noscat seipsum; cum nulllla sit, quæ valeat mentem ipsam ipsi menti exprimere. Videtur postremo, eadem ratione, qua mens cogitat copulata corpori, posse & separata cogitare. Qua enim vi, sive potentia, dum corpori conjuncta est, circa rerum earum versatur imagines, quæ ex illarum appulsi in cerebro excitantur, eique, objecti instar, ut suo loco dicemus, sistuntur; eadem ipsa vi poterit etiam a corpore separata circa res ipsas immediate versari, eas in seipsis percipere, ac proinde clarius, quam dum corpori unita est, illas omnes cogitatione complecti. Hinc Tullius, postquam dixit, *animum & videre, & audire, non eas partes, organa scilicet sensuum externorum, que quasi fenestra sunt animi, corporea, inquit, objecta tum multo puriora, & dilucidiora cernentur, cum, quo natura fert, liber animus pervenerit.* Nam nunc quidem, quamquam foramina illa, quæ patent ad animum a corpore, callidissimo artificio natura fabricata est, tamen terrenis concretisque corporibus sunt intersepta quodammodo; cum autem nihil erit præter animum, nulla res objecta impediet, quominus percipiat, quale quidque sit (b). Unde summus ipse Orator, vel, quicumque ille fuerit, auctor libri de consolatione, appetendam mortem a nobis esse ait, *qua eo levior esse debet, quod omnibus communis sit, nec cuiquam singularis, aut præcipua; sed hoc quoque gravior, quod nos a multis erroribus abstrahit (quibus, quoad vivimus, in tanta opinionum varietate, assiduaque veri inquisitione perturbari saepe solemus) & ad ipsam cernendam fruendamque veritatem jucunde traducit.*

## III.

91. Ignorat nemo, mentem nostram, cum in sublimium præser-tim, divinarumque rerum vult contemplatione versari, avocare se ab exterioribus, & sensibilibus, se intro recipere, seque ipsam ita in seipsa colligere, ut sejungi a corpore quodammodo videatur. Cum anima, inquit Auctor libri de spiritu & anima cap. 32., vult intelligere vel di vina, vel Deum, vel seipsum, suasque considerare virtutes, abstrahit

(a) Lib. X. de Trinitate num. 10. alia cap. 7. (b) Lib. I. qq. Tuscul. cap. 20.

strabit se ab omnibus corporis sensibus, quibus non adjuvatur, nisi ad corporeas figuras, coloresque sentiendos, & spiritu atque ratione se conspicit, meditatione atque contemplatione ad Deum ascendit. Quinimo universaliter, quis bene se inspiciens, ut praeclare observat S. Augustinus, non expertus est, tanto se aliquid intellexisse sincerius, quanto removere atque subducere intentionem mentis a corporis sensibus potuit (a). Ratiocinatur tunc optime animus, inquit summus Philosophus Plato, quando horum nihil eum perturbat, neque auditus, neque visus, neque dolor, neque voluptas; sed quammaxime seipsum in se recipiens, deserit corpus, neque quidquam, quoad fieri potest, cum illo communicans, neque attingens, ipsum, quod vere est, affectat (b). Unde eodem teste, dum vivimus, proxime ad scientiam accedemus, si quamminimum cum corpore commercium habuerimus, nec quidquam cum illo communicaverimus (c). Tantum igitur abest humanam mentem in cogitando a corpore ipsa sua natura de pendere, quin potius corporis vinculum maximo illi impedimento sit, ne res, & quidem præcipue quæ sublimioris sunt ordinis, distincte nitideque percipiatur. Neque enim, cum ad sublimium præsertim rerum contemplationem rapitur, atque in illis considerandis versatur mens liberari a corpore quodammodo niteretur, si depositis corporis exuvii, nihil prorsus percipere, minimeque cogitare tunc ipsa valeret. Rectissime propterea consuluit olim Tullius, ut in sui avocatione a sensibilibus homo sese pro viribus exerceret. Hinc quippe fore arbitrabatur Vir summus, ut expeditior ad sublimia animorum cursus post mortem fieret. Hoc commentemur, inquit, mihi crede, disfungamusque nos a corporibus, idest, consuecamus mori. Hoc & dum erimus in terris, erit illi cœlesti vita simile; & cum illuc ex his vinculis emissi feremur, minus tardabitur cursus animorum. Nam, qui in compedibus corporis semper fuerunt, etiam cum soluti sunt, tardius ingrediuntur, ut ii, qui ferro vinciti multos annos fuerunt. Quo cum venerimus, tum denique vivemus (d).

## I V.

92. Ecstasis maximo quoque argumento est, humanam mentem a corpore separata cogitare optime posse. Definitur ecstasis a S. Augustino, alienatio mentis, hoc est, aversa mens a consuetudine corporali ad visum quemdam contemplandum, alienata a presentibus (e). Cogitat itaque mens in ecstasim raptâ, quin sensibus tunc ipsa utatur: atque

(a) Lib. de immortalitate anime n. 17.  
alias cap. 10.

(q) In Phædon.

(c) Ibidem.

(d) Lib. I. qq. Tuscul. cap. 31.

(e) Serm. III. super Tsalim. 103. 1 (a)

atque adeo tunc agit, perinde ac si a corpore se juncta existeret. Tunc omnino, inquit laudatus S. Doctor, quæcumque sint præsentia corpora, etiam patentibus oculis, non videntur, nec ullæ voces prorsus audiuntur. Totus animi contitus aut in corporum imaginibus est per spiritalem, aut in rebus incorporeis, nulla corporis imagine figuratis, per intellectualem visionem (a). Quamvis autem naturæ viribus non possit humana mens in ecstasim rapi (donum quippe Dei est) id tamen non impedit, quominus colligere hinc rectissime liceat, mentem nostram non adeo a corpore dependere in cogitando, ut ab illo separata, siveque juris facta, cogitare non possit. Satis est enim, ut alicuius hominis anima in ecstasim rapta aliquando fuerit: quod quidem non semel contingisse, adeo certum puto, ut nemo sine maxima temeritatis nota illud valeat in dubium revocare. Ceterum etiam naturæ viribus non raro contingit, ut tanta in nobis fiat mentis a sensibus alienatio, ut supernaturalem ecstasim æmulari ipsa videatur. Profecto de Socrate refert Aulus Gellius, quod solitus fuerit stare pertinaci statu perdius, atque pernox, a summo lucis ortu ad Solem alterum orientem inconveniens, immobilis, iisdem in vestigiis, & ore atque oculis eundem in locum directis, cogitabundus, tamquam quodam secessu mentis atque animi facto a corpore (b). Observatione quoque dignum est, quod narrat S. Augustinus, fuisse nimirum presbyterum quandam, nomine Restitutum, qui, quando ei placebat (rogabatur autem, ut hoc faceret, ab eis, qui rem mirabilem coram scire cupiebant) ad imitatas quasi lamentantis cuiuslibet hominis voces, ita se auferebat a sensibus, & jacebat simillimus mortuo, ut non solum vellicantes atque pungentes minime sentiret, sed aliquando etiam igne uretur admoto, sine ullo doloris sensu, nisi postmodum ex vulnere. Non autem obnitendo, sed non sentiendo, non movere corpus, ex eo probabatur, quod, tamquam in defuncto, nullus inveniebatur anhelitus; hominum tamen voces, si clarius loquerentur, tamquam de longinquo se audire possea referebat (c). Evidenter demum elucet, ut præclare observat idem S. Doctor, quod plerumque se vehementi cogitationis intentione avertit (mens) ab omnibus, ut præ oculis patentibus recteque valentibus multa posita nesciat. Et si major intentio sit, dum ambulabat, repente subsistat, avertens utique imperandi nutum a ministerio motionis, qua pedes agebantur. Si autem non tanta sit cogitationis intentio, ut figat ambulantem loco, sed tamen tanta, ut partem illam cerebri medium nuntiantem corporis motus non vacet advertere, obliviscitur aliquando & unde veniat, & quo eat, &

tran-

(a) Lib. XI. super Genes. ad literam n. 25. alias cap. 1.

(b) Lib. II. noctium Atticarum cap. 1. (c) Lib. XIV. de Civitate Dei cap. 24.

*transit imprudens villam, quo tendebat, natura sui corporis sana, sed sua vi in aliud avocata (a)). Poteſt igitur humana mens vi sua ita alio distrahi, ſeque ipsam ita in ſeipſa colligere, ut ad eas motiones, quae in ſenſibus fiunt, quaſi corpore reipſa vacaret, nequaquam attendat. Ergo in cogitando non ita a corpore dependet, ut, niſi illi copulata ſit, cogitare non poſſit.*

## V.

93. Res demum perſpicua cuique eſt, ipſa reſte conſcientia, ſum-  
mum in nobis eſſe deſiderium nitide cognoscendi veritatis plurimas,  
quas modo nonniſi confufe obſcureque attingimus, noſque in ea-  
rum notitia tendere, atque ad illas rapi quodammodo, appetitu  
innato, & iſtinctu quodam veheſentiffimo. Tantus eſt innatus in  
nobis cognitionis amor & ſcientia, ut, auctore Tullio, nemo dubita-  
re poſſit, qui ad eas res hominum natura nullo emolumento invita-  
ta rapiatur. Videmus ne, ut pueri ne verberibus quidem a contemplan-  
dis rebus, perquirendisque deterreatur? ut pulſi requirant, & aliquid  
ſcire ſe gaudeant? ut aliis narrare geſtiant? ut pompa, laudis, atque  
eiusmodi ſpectaculis teneantur, ob eamque rem vel famem & ſtim  
perferant? Quid vero? Qui ingenuis ſtudiis atque artibus delectantur,  
nonne videmus, eos nec valetudinis, nec rei familiaris habere ratio-  
nem, omniaque perpeti, ipſa cognitione, & ſcientia captos; & cum  
maximis curis, & laboribus compensare eam, quam ex diſcendo capiunt,  
voluptatem? Mihi quidem Homeruſ hujusmodi quiddam vidiffe vide-  
tur in iis, quae de Sirenum cantibus finxerit: Neque enim vocum suavi-  
tate videntur, aut novitate quadam, & varietate cantandi revocare  
eos ſolitae, qui prætervehebantur, ſed quia multa ſe ſcire profitebantur,  
ut homines ad earum ſaxa, diſcendi cupiditate, adhærēſcerent. Ita enim in-  
vitavit Ulyſſem: (nam verti, ut quādam Homeri, ſic iſtum ipſum locum)

O decus Argolicum, quin puppim flectis Ulyſſes,  
Auribus ut noſtres poſſis agnoscere cantus.

Nam nemo hæc unquam eſt transvectus cærula cursu,

Quin prius adſtiterit, vocum dulcedine captus;

Post variis avido ſatiatus pectore Muſis,

Doctior ad patrias lapsus pervenerit oras.

Nos grave certamen belli, clademque canemus,

Græcia quam Trojæ divino numine vexit;

Omniaque e latiſ regum veſtigia terris.

Vidit Homeruſ, probari fabulam non poſſe, ſi cantiunculſ tantus vir ir-

re-

(a) Lib. VII. ſuper Genef. ad literam n. 26. alias c. 20.

retitus teneretur. Scientiam pollicentur: quam non erat mirum sapientia cupido patria cariorem. Atque omnia quidem scire, cujuscunque modi sunt, cupere curiosorum: duci vero majorum rerum contemplatione ad cupiditatem scientiae, summorum virorum est putandum. Quem enim ardorem studii censemus fuisse in Archimede, qui dum in pulvere quadam describit attentius, ne patriam quidem captam esse senserit? Quantum Aristoxeni ingenium consumptum videmus in musicis? Quo studio Aristophanem putamus etatem in literis duxisse? Quid de Pythagora? Quid de Platone, aut Democrate loquar, a quibus propter discendi cupiditatem, videmus ultimas terras esse peragratas? quae qui non vident, nihil unquam magna cognitione dignum amaverunt (a). Neque porro mirandum, quod tanta nobis insit veri cognoscendi cupido; cum certo jam pateat, humanam felicitatem in cognitione fruitioneque veritatis consistere. Nihil beatius homini posse contingere, inquit auctor libri de consolatione Tullio adscripti, quam ut veritatem cernat, eaque fruatur, satis ut arbitror, ex eo suspicari possumus, quod innata est homini cupiditas scientiae: ejus autem præstantia, non sane video, qua alia in re, nisi in perfecta veritatis cognitione posita sit: ex quo fit, ut veritatis cognitionem assecuti, perfecta absolutaque scientia potiamur, vereque dici potest, qui veritatem intueatur sensuque percipiat, eum voti sui compotem, vereque beatum esse. Jam vero, si natura inest mentibus nostris insatiabilis quedam cupiditas veri videndi (b) sive, ut ait Lactanius, si naturam hominis Deus veri adipiscendi cupidissimam fecit (c); si que appetitio intelligendi ea, qua vere summeque sunt, summus adspetctus est anima, quo perfectiorem, meliorem, rectioremque non habet (d), reliquum profecto est, ut dicamus, vel hoc sciendi desiderium frustra nobis a natura fuisse collatum; quippe quod, si cogitandi vis una cum corpore in morte extinguitur, nulla omnino possit ratione expleri: vel mentem nostram a corpore separatam cogitare optime posse; certoque fore, ut ea tunc nitide distincteque mens ipsa percipiat, quorum notitiam nonnisi optare, & quidem vehementissime, modo valemus.

## S C H O L I O N.

94. Si humana mens, a corpore soluta, percipere potest, suarumque perceptionum esse conscientia, dubium esse nequit, quin velle, & nolle, gaudere, atque tristari, aliisque id genus motibus affici, ea ip-

Phil. Ment. T. II.

K

sa

(a) Lib V. de Finibus cap. 18., & 19. (d) S. Augustinus lib. de quantitate animæ

(b) Tullius lib. I. qq. Tuscul. c. 19.

num. 75. alias cap. 33.

(c) Lib. III. Divin. Instit. cap. 3.

sa tunc itidem queat. Motiones namque hujuscemodi, sive affectus, non solum independentes sunt a materia, perinde prorsus ac ipsa rerum perceptio, verum etiam ipsam perceptionem in anima consequuntur.

## C O R O L L A R I U M .

95. *Vivit ergo humana mens, etiam a corpore separata. Vita enim mentis humanæ in cogitatione posita est.*

## P R O P O S I T I O V.

*Humana mens ipsa sua natura est immortalis.*

96. Duo sunt argumentorum genera, quibus humana mens sollet ipsa sua natura immortalis ostendi, *metaphysica* nimirum, & *moralia*. Prioris generis dicuntur illa, quæ ex ipsis mentis essentiis; posterioris vero, quæ ex moralibus quibusdam principiis, derivantur. Illa rem demonstrant; hæc suadent tantum. Ea tamen suadent vi, eoque pondere, ut, si non protervum & repugnantem, quemadmodum egregie observat doctissimus Melchior Canus, vincant certe docilem hominem, & ad disciplinæ leges bene informatum (a). Metaphysica itaque primo, tum moralia afferemus.

## I.

97. Cum enim humana mens a corpore separata cogitare possit (§. 88.), hujuscemodi ipsa est, ut ab eo tantum possit vita privari, a quo potest destrui. Non enim sufficit, ut a corpore separetur, ne cogiter, atque adeo ne vivat, si a corpore sejuncta cogitare ipsa potest. Nullum autem agens creatum potest humanam mentem destruere (§. 85.). Ergo nullum potest sua ipsam vita privare. Intrinsecus autem immortale est, quod per actionem creati agentis carere nequit vita (§. 65.). Ergo humana mens est ipsa sua natura intrinsecus immortalis.

## I I.

98. Mens humana est substantia cogitans, atque adeo ita seipsum movens, ut una sentiat, quemadmodum præclare ait Tullius, *se via sua, non aliena, moveri; nec accidere posse, ut ipsa unquam a se deservatur* (b). Ergo ita vivit, ut illa nunquam possit per actionem creati agen-

(a) Lib. XII. *de locis Theol.* cap. 14.(b) Lib. I. qq. *Tuscul.* cap. 23.

agentis a vita cessare, experientia nimis ad evidentiam demonstrante, in iis tantum, naturæ viribus, motum extingui, & dissipari vitam, quæ non a seipsis, sed alieno pulsu aguntur. Hanc porro rationem, quæ Platonis est, ita exhibet elegantissimus Cicero. *Quod semper movetur, aeternum est.* *Quod autem motum afferat alicui, quodque ipsum agitatur aliunde; quando finem habet motus, vivendi finem habeat, necesse est.* *Solum igitur, quod seipsum movet, quia nunquam describitur a se, nunquam ne moveri quidem definit:* quin etiam ceteris, quæ moventur, hic fons, hoc principium est movendi. Principiū autem nulla est origo; nam e principio oriuntur omnia; ipsum autem nulla ex re alia nasci potest; nec enim esset principium, quod gignetur aliunde: quod si nunquam oritur, nec occidit quidem unquam. Nam principium extinctum nec ipsum ab alio renascetur, nec a se aliud creabit. Siquidem necesse est, a principio oriri omnia. Ita fit, ut motus principium ex eo sit, quod ipsum a se movetur. Id autem nec nasci potest, nec mori: vel concidat omne cœlum, omnisque natura consistat necesse est, nec vim ullam nasciscatur, qua primo impulsa moveatur. Cum pateat igitur, aeternum id esse, quod seipsum moveat, quis est, qui hanc naturam animis esse tributam neget? Inanimum est enim omne, quod pulsu agitatur externo; quod autem est animale, id motu cietur interiore & suo. Nam hac est propria natura animi atque vis: quæ si est una ex omnibus, quæ seipsum semper moveat, neque nata certa est, & aeterna est (a). Tanti autem rationem hanc fecit ipse Tullius, eoque in pretio ab omnibus habendam esse arbitrabatur, ut, licet, dicat, concurrant plebeii omnes Philosophi (sic enim ii, qui a Platone & Socrate, & ab ea familia dissident, appellandi videntur) non modo nihil unquam tam eleganter explicabunt, sed ne hoc quidem ipsum quam subtiliter conclusum sit, intelligent (b). Contra tamen Lactantius opinatus est, contendens, hoc argumento animam non hominis tantum, sed & belluarum, æternam evinci & immortalem (c). Verum contendit Cl. Du-Hamel, Platonicam hanc rationem, si penitus inspiciatur, resque ipsa si consideretur attente, non parum roboris firmitatisque habere. Quippe, ut ille ait, & recte quidem, quemadmodum satis constat ex Physica, ceteræ animantes non seiphas movent, si proprio loqui velimus, sed agitantur aliunde. Sensus earum, & nostri corporum incursu impelluntur, ac nullas exerunt functiones, quæ a corporibus non pendeant, cuncta in iis necessitate quadam funt. Sed homo consulto & deliberate

K 2

agit,

(a) Lib. I. qq. *Tuscul.* cap. 23.

(b) Ibidem.

(c) Lib. VII. *de Divin. Instit.* cap. 8.

agit, atque ad eundem finem non uno tramite contendit (a). Hinc Author libri de spiritu & anima cap. 36., vita, inquit, anima est, vivens quidem, sed non aliunde, quam a seipsa, & ob hoc non tam vivens, quam vita est. Inde est, quod infusa corpori vivificat illud, ut sit corpus de vita praesentia, non vita, sed vivens. Neque omittendum, hac ipsa ratione usum fuisse S. Augustinum, ut humanam quoque mentem mortalitatis expertem ostenderet. Ita enim Vir summus argumentabatur: si quisquam non cum interitum dicit formidandum animo, quo efficitur, ut nihil sit, quod aliquid fuit; sed eum, quo dicimus ea mortua, quae vita carent, ostendat, quod nulla res seipsa caret. Est autem animus vita quadam, unde omne, quod animatum est, vivere; omne autem inanime, quod animari potest, mortuum, id est vita privatum intelligitur. Non ergo potest animus mori. Nam si carere poterit vita, non animus; sed animatum aliquid est. Quod si absurdum est, multo minus hoc genus interitus timendum est animo, quod vita certe non est timendum. Nam prorsus si tunc moritur animus, cum eum deserit vita illa, ipsa vita, qua hunc deserit, multo melius intelligitur animus, ut jam non sit animus quidquid a vita deseritur, sed ea ipsa vita, qua deserit. Quidquid enim vita desertum mortuum dicitur, id ab anima desertum intelligitur: hæc autem vita, qua deserit ea, qua moriuntur, quia ipsa est animus, & seipsam non deserit, non moritur animus (b).

## III.

99. Ipsæ etiam mentis operationes atque vites quemadmodum, si attento animo inspectæ a nobis fuerint, fateri nos cogunt, illius naturam, sive substantiam esse prope divinam (§. 50.), ita eadem ipsæ ad evidentiam ostendunt, ipsam mentem numquam posse a vita celsare. Neque enim videtur posse a nobis concipi, neque fieri, quemadmodum ex Platone egregie argumentatur Lactantius, quin sit immortalis animus humanus, cuius miranda solertia inveniendi, & celeritas cogitandi, & facilitas percipiendi atque discendi, & memoria prateritorum, & providentia futurorum, & artium plerumque innumerabilium scientia, qua cetera carent animantia, divina & caelestis appareat; quia & origo animi, qui tanta capiat, tanta contineat, nulla reperitur in terris; siquidem in concretione terrena nihil habet admixtum, sed necesse esse, in terram resolvi, quod est in homine ponderosum & dissolubile: quod autem tenue est atque subtile, id vero esse individuum, ac domicilio

(a) Tract. III. Metaph. ad usum Burgund. (b) Lib. de immortalitate animæ num. 16. Dilp. III. q. 1. alias cap. 11.

*lio corporis velut carcere liberatum, ad cælum & ad naturam suam per-  
volare (a).* Hæc ratio quam valuerit apud Tullium, ac proinde quanti  
ab iis etiam facienda sit, qui recte de rebus sentiunt, ex eo vel maxi-  
me patere arbitror, quod postquam dixerat Vir summus, non solam  
fuisse rationem, sed nobilitatem etiam, auctoritatemque maximorum  
Philosophorum, quæ eum impulit, ut crederet, *Deos immortales spar-  
sisse animos in corpora humana, in hæc præclara, tantoque Viro di-  
gna, verba proruperit: quid multa? sic mihi persuasi, sic sentio, cum  
tanta celeritas animorum sit, tanta memoria præteriorum, futurorum  
prudentia, tot artes, tot scientiæ, tot inventa, non posse eam naturam,  
quæ res eas continet, esse mortalem (b).*

## IV.

100. Hactenus metaphysca, nunc ad ea momenta, quæ moralia di-  
cuntur, gradum facimus. Illud autem inter hæc omnia principem  
proculdubio locum tenet, quod ex firmissimo omnium populorum  
consensu, constantique per omnes ætates nationum omnium senten-  
tia, non institutis, teste Tullio, confirmata, non legibus, deriva-  
tur. Cum de animarum æternitate differimus; non leve, inquit Seneca,  
momentum apud nos habet consensus hominum aut timentium æthera,  
aut colentium (c): & recte quidem; quandoquidem, ut sapienter  
advertisit laudatus Romanæ eloquentiæ Princeps, *omni in re con-  
sensio omnium gentium lex naturæ putanda est (d).* Profecto, sicuti,  
eodem teste, & suo loco dicemus, *firmissimum hoc afferri vi-  
detur, cur Deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, neque  
omnium tam sit immanis, cuius mentem non imbuerit Deorum opinio (e);*  
ita maximum pro animorum immortalitate argumentum est, quod  
omnes sic semper senserint, & sentiant modo, *natura duce, nulla ra-  
tione, nullaque doctrina (f).* Ita porro sensisse de animorum vita post  
mortem nationes omnes, omnesque populos, ignorare istantum po-  
test, qui plane hospes in historiis est, quique veterum cæremoniis,  
ritus, atque leges prorsus ignorat. Auctor est Strabo (g), Indos  
habuisse pro re comperta, *hanc vitam habendam esse quasi recens con-  
cepti fatus statum. Mortem vero partum esse ad eam, quæ vere vita est,*  
*planeque beatam, iis scilicet, qui sapientiam sectati fuerint. Idipsum*  
*de horum Philosophis tradit Coelius Rhodiginus (h), qui etiam re-  
fert, Chaldaeos, & Indorum Magos, si Pausaniæ danda est fides, hu-*

*Phil. Ment. T. II.*

K 3

ma-

(a) Lib. VIII. *Divin. Insti.* cap. 8.

(e) Ibidem.

(b) Lib. de *Sene&tute* cap. 21.

(f) Ibidem.

(c) Epist. 118.

(g) Lib. XV.

(d) Lib. I. *qq. Tuscul.* cap. 13.

(h) Lib. XVIII. *Ledionum Antiq.* cap. 31.

*manam animam esse immortalem, primos omnium tradidisse (a). Ex Ægyptiis, & Thracibus, ut ex Herodoto, atque Mela testatur Cl. Du-Hamel (b), quidam obeuntium animos reddituros arbitrabantur, quidam non reddituros, verum neque interimi, sed ad beatiora transire (c). Refert Julius Cæsar, dogma de animorum immortalitate primum fuisse, quod Druidæ in Gallia persuadere nitebantur, idque ea potissimum de causa, quod *hoc maxime ad virtutem excitari putarent, metu mortis neglecto* (d). Priscis quoque illis, quos *Gascos*, omnium scilicet antiquissimos, vocabat Ennius apud Tullium, id erat insitum, eodem Tullio teste, *esse in morte sensum, neque excessu vita sic deleri hominem, ut funditus interiret: idque cum multis aliis rebus, tum e Pontificio jure, & ceremoniis sepulcrorum intelligi licet, quas maximis ingenii prædicti nec tanta cura coluisserint, nec violatas tam inexpiabili religione sanxissent, nisi hafisset in eorum mentibus, mortem non interitum esse, omnia tollentem atque delentem, sed quandam quasi migrationem commutationemque vitæ, quæ in claris viris & feminis dux in cœlum soleret esse, in ceteris humi & retineretur, & permaneret tamen* (e). Traditionem postremo de immortalitate animorum a primis usque ductam esse parentibus, eamque hinc ad populos moratores pene omnes manasse, ex Homeri carminibus apparet, inquit Vir doctissimus Hugo Grotius, & ex Philosophis non Gracorum tantum, sed & Gallorum veterum, quos Druidas vocabant, & Indorum, quos Brachmanes, & ex iis, quæ de Ægyptiis, & Thracibus, quin & Germanis Scriptores plurimi prodiderunt. Quin, addit Vir Cl., & de judicio divino post hanc vitam plurima extitisse videmus non apud Gracos tantum, sed & apud Ægyptios, & Indos, ut nos Strabo, Diogenes, Laertius, Plutarchus docent: quibus addi potest traditio de Mundo hoc conflagratorio, quæ olim apud Hystaspem, & Sybillas, nunc quoque apud Ovidium & Lucanum reperitur. Etiam cum in Canarias, Americam, & alia longinqua loca primum ventum est, reperta ibi quoque eadem de animis, & judicio sententia (f). Itaque si, ut cum Tullio loquar, omnium consensus naturæ vox est: *omnesque, qui ubique sunt, consentiunt, esse aliquid, quod ad nos pertineat, qui vita cesserint, nobis quoque idem existimandum est. Et, si, quorum aut ingenio, aut virtute animus excellit, eos arbitramur, quia natura optima sunt, cernere naturæ vim maximam verisimile est, cum optimus quisque maxime posteritati serviat, esse aliquid, cuius is post mortem sensum sit habiturus* (g).*

101.

(a) Lib. XVIII. Lect. Antiq. cap. 31.

(d) Lib. VI. de Bellò Gallico.

(b) Tract. III. Metaph. ad usum Burgund. Disp. 3. q. 1.

(e) Lib. I. qq. Tuscul. cap. 12.

(c) Vid. lib. I. de moribus, legibus, &amp; ritibus omnium

(f) Lib. I. de Veritate Relig. Chri.

Gentium, Autore Joanne Boemo Aubano, cap. 5.

(g) Lib. I. qq. Tuscl. cap. 15.

## V.

101. Constat, beatitudinem a nobis appeti appetitu innato, & quidem vehementissimo. Beate certe, inquit S. Augustinus, omnes vivere volumus; neque quisquam est in hominum genere, qui non huic sententiae, antequam plane sit emissa, consentiat (a). Constat quoque, humanam conditionem tantæ esse dignitatis, ut nullum bonum, præter summum, ei sufficere possit (b), & jure quidem; etenim, ut præclare observat laudatus S. Doctor, tale illud esse debet, quod (*homo*) non amittat *invitus*. Quippe nemo potest confidere de tali bono, quod sibi eripi posse sentit, etiamsi retinere id, amplectique valuerit. Quisquis autem de bono, quo fruitur, non confidit, in tanto timore amittendi beatus esse qui potest (c)? Unde merito Philosophorum non obscurus Euclides, inquit Lactantius, qui fuit conditor Megaricorum disciplinæ, dissentiens a ceteris, id esse summum bonum dixit, quod simile sit, & idem semper (d). Aut ergo accusanda natura est, quod, ad optandam beatitudinem instinctu vehementissimo dum nos impellit, efficitque perpetuo, ut immortalem vitam, felicitatemque speremus, fallat nos semper, turpiterque decipiatur, aut dicendum cum Tullio, certo fore, ut tunc simus beati, cum corporibus relictis, & cupiditatum, & emulationum erimus expertes; quodque nunc facimus, cum laxati curis sumus, ut spectare aliquid velimus, & visere, id multo tum faciemus liberius, totosque nos in contemplandis rebus perspiciendisque ponemus (e); atque hinc rem esse certissimam, mentem nostram non dissipari in morte, sed a corpore sejungi solum, eique superesse, ac vivere.

Adde, contrarium dici non posse, quin verum sit, hominem deterioris esse conditionis, quam cetera quæque viventia, licet sit præstantioris naturæ. Quo enim tendunt viventia, quæque rationis experientia, quodque appetunt naturali instinctu, eo pervenire, illudque consequi ipsa facile possunt, & consequuntur re ipsa, eoque obtento, perfectissime quiescent. Contra vero, si nulla nobis post mortem futura sit vita, nunquam expleri in nobis poterit illud felicitatis desiderium, quod ipsa nobis natura impressit; unde fateri cogimur, nos ita esse miseris, ut non miseri neque futuri unquam simus, neque esse possimus. Præclare idcirco S. Augustinus, si pecora, inquit, essemus, carnalem vitam, & quod secundum sensum ejus est, amaremus; idque esset sufficiens bonum nostrum, & secundum hoc cum esset nobis be-

K 4

ne,

(a) Lib. de moribns Ecclesiae n. 4. alias cap. 3. (d) Lib. II. Divin. Inst. cap. 12.

(b) Author libri de spiritu &amp; anima cap. 14. (e) Lib. I. qq. Tuscul. cap. 19.

(c) Lib. de moribns Ecclesiae n. 5., alias c. 3.

ne, nihil aliud quereremus. Item si arbores essemus nihil, quidem sentiente motu amare possemus; verumtamen id quasi appetere videmur, quo feracius essemus uberiorisque fructuosa. Si essemus lapides, aut fluctus, aut ventus, aut flamma, vel quid ejusmodi, sine ullo quidem sensu atque vita, non tamen nobis deesset quasi quidam nostrorum locorum atque ordinis appetitus. Nam velut amores corporum momenta sunt ponderum, sive deorsum gravitate, sive sursum levitate nitantur. Ita enim corpus pondere, sicut animus amore fertur, quemque fertur. Quoniam igitur homines sumus, ad nostri Creatoris imaginem creati, cuius est vera aeternitas, aeterna veritas, aeterna & vera charitas, estque ipsa aeterna, & vera, & cara Trinitas, neque confusa, neque separata; in iis quidem rebus, quae infra nos sunt, quoniam & ipsa nec aliquo modo essent, nec aliqua specie continerentur, nec aliquem ordinem vel appeterent, vel tenerent, nisi ab illo facta essent, qui summe est, qui summe sapiens est, qui summe bonus est; tamquam per omnia, quae fecit mirabili celeritate, currentes, quasi quedam ejus alibi magis, alibi minus impressa vestigia colligamus: in nobis autem ipsis ejus imaginem contuentes, tamquam minor ille Evangelicus filius, ad nosmetipos reversi surgamus, ut ad illum redeamus, a quo peccando recesseramus. Ibi esse nostrum non habebit mortem, ibi noſſe nostrum non habebit errorem, ibi amare nostrum non habebit offensionem (a).

## V I.

102. Nequit postremo humana mens dissipari in morte, omnisque in nobis vita extingui, quin ad honeste vivendum, tuendamque humanam societatem, universalis error necessario requiratur, mentem scilicet ipsam ita post mortem vivere, ut pro eorum conditione, quae in corpore gessit, aut latetur beata, aut diris suppliciis sine fine puniatur. Alterius quippe vitae, in qua praemia recipiant boni, & puniantur iniqui, spe prorsus sublata, quae profecto erit morum honestas? quae justitia, qua una continentur humana societas? quae religio? quae virtus? Consulantur eorum mores, quibus, ut ait Seneca, *virtus, & philosophia, & justitia verborum inanum crepitus est, una felicitas est bona vita facere omnia libere, frui patrimonio, hoc est, vivere, hoc est, se mortalem esse meminisse* (b). Nihil enim ex eorum ore auditur frequentius, quam iniquum illud: *venite, & fruamur bonis, quae sunt, & utamur creatura tamquam in juventute celeriter. Vino pretioso, & unguentis, nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis.*

(a) Lib. XI. de Civitate Dei cap. 39. (b) Epist. 124.

poris. Coronemus non rosas, antequam marcescant. Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum exors sit luxurie nostra. Ubique relinquamus signa latitiae, quoniam haec est pars nostra & sors. Opprimamus pauperem justum, & non parcamus viduae, nec veterani revereamur canos multi temporis. Sit autem fortitudo nostra lex justitiae; quod enim infirmum est, inutile invenitur. Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplina nostra (a). Quid est autem naturali rationi magis dissonum, quid magis turpe, quam humanam societatem ab universali errore adeo dependere, ut, eo sublato, illa tollatur profsus, & pereat? Quid magis iniquum, ipsique naturae, rerumque Conditori optimo magis injuriosum, quam periculum esse, ne in homine, nisi perpetuo decipiatur, nulla religio sit, nullaque virtus? Per seipsum error, si credimus S. Augustino, aut magnum in re magna, aut parvum in re parva semper malum est (b). Ergo repugnat prorsus, ut humana societas, ipsaque virtus, quae, ut praeclarer dixerat Sophocles, maximum rerum humanarum bonum est (c), suisque possessoribus, auctore Platone, divina sorte accedit (d), ab errore dependeat; ac propterea, ut falsum reipsa sit, humana mentem corpori post mortem superesse, ac vivere, quin unquam sit peritura.

Huic adde, quod egregie urget Lactantius, videlicet mentem nostram dissipari in morte non posse, quin contra naturam, & ideo malum, ipsa quoque sit virtus. Praesenti vita, inquit ille, nocet virtus. Nam vita ista terrena, quam communem cum mutis animalibus ducimus, & voluptatem expetit, cuius fructibus variis ac suavibus delectatur, & dolorem fugit, cuius asperitas naturam viventium acerbis sensibus ludit, & ad mortem perducere nititur, que dissolvit animantem. Si ergo virtus & prohibet iis bonis hominem, que naturaliter appetuntur, & ad sustinenda mala impellit, que naturaliter fugiuntur, ergo malum est virtus, & inimica naturae, stultumque judicare necesse est, qui eam sequitur, quoniam seipsum ludit, & fugiendo bona praesentia, & appetendo aequa mala sine spe fructus amplioris. Nam, cum licet nobis jucundissimis frui voluptatibus, nonne sensu carere videmur, si malimus, in humilitate, in egestate, in contemptu, in ignominia vivere, aut ne vivere quidem, sed dolere, cruciari, & mori, ex quibus malis nihil amplius assequamur, quo posse

vo-

(a) Sapientie cap. II. v. 6. &amp; seq.

(b) In Enchirid. num. 6. alias cap. 19.

(c) Apud Stobaeum Serm. I.

(d) Apud Stobaeum ibidem.

voluptas omissa pensari? Si autem virtus malum non est, facitque honeste, qui voluptates vitiosas turpesque contemnit; & fortiter, qui nec dolorem, nec mortem timet, ut officium servet: ergo majus aliquod bonum asequatur necesse est, quam sunt illa, quæ spernit. At vero morte suscepta, quod aliud bonum sperari potest, nisi eternitas (a)? Idipsum innuerat antea magnus etiam ille Philosophus æque ac summus Orator Tullius. Dixerat quippe: *nemo unquam sine magna spe immortalitatis se pro patria offerret ad mortem.* Licuit esse otioso Themistocli, licuit Epaminonda, licuit, ne & vetera, & extera quæram, mihi: sed nescio, quomodo inhæret in mentibus quasi sacerdorum quoddam augurium futurorum; idque in maximis ingeniiis, altissimisque animis & existit maxime, & appetit facilissime: quo quidem dempto, quis tam esset amens, qui semper in laboribus, & periculis viveret (b)? Itaque, si honeste vivere maxima commendatione dignum jure ac merito est, efficitque virtus hominem quasi divinum (c); sique, ut virtuose vivamus, nos non fallit natura, mors non extinguuit hominem, sed ad præmium virtutis admittit (d); atque hinc rationalis anima corporis post mortem superstes citra dubium manet, sine fine victura.

## C O R O L L A R I U M I.

103. Naturali ratione demonstrari evidenter potest, evidentia physica, mentem humanam ipsa sua natura esse immortalē. Tanti si quidem ponderis sunt argumenta, quibus naturalis humanæ mentis immortalitas ostensa est, ut, nisi in physicis plane plumbei simus, fateamur oporteat, eodem ipso jure ambigere hac de re neminem posse, quo dubitare de pluribus, quæ in naturali Philosophia traduntur, ipsi nequimus.

## S C H O L I O N.

104. Culpa non vacat, qui mathematicam hac in re evidentiam requirit. Plus enim exigit, quam ipsa rei patiatur natura. Sane, si mortalitatis expers censenda mens nostra non est, nisi evidentia, quæ potest esse maxima, id evincatur, eandem ipsam in omnibus cur non postulemus, nequaquam video. Nec enim mens nostra ignobilis adeo est conditionis, deteriorisque naturæ, ut illud dumtaxat, cum de ea agitur, verum censi debat, quod evidentissime verum esse cognoscamus.

(a) Lib. VII. *Divin. Instit.* cap. 9.  
(b) Lib. I. *qq. Tuscul.* cap. 15.

(c) Plato apud Stobæum *serm. I.*  
(d) Laertianus lib. VII. *Divin. Instit.* c. 10.

cognoscitur. Nequē immortalitatis dogma adeo pēriculosum est, ut nisi evidētia urgeat, & cogat necessitas, non sit admittendum. Itaque, si prudentissime olim dixerat Aristoteles, quemadmodum omnium calculo vere dixit, stultum esse, æqualem in omnibus evidētiā certitudinemque exigere (a), summae profecto clementiæ est, maximam, cum de animorum immortalitate agitur, evidentiam postulare.

## C O R O L L A R I U M II.

105. Merito propterea doctissimus Melchior Canus, erroneum esse, ait, ne dicat hæreticum, astruere, animæ immortalitatem naturali ratione demonstrari non posse; periculosum vero, & temerarium, ne quid addat amplius, affirmare, nullum adhuc inventum esse argumentum, quod animæ immortalitatem vere demonstret (b).

## P R O P O S I T I O VI.

*Humana mens, Dei voluntate, in morte non perit.*

106. Animam rationalem a Deo in morte nequaquam interimi, sed, illius etiam voluntate, corpori post mortem superesse sine fine victuram, hisce momentis ostenditur.

## I.

107. Constat namque, certissimo ipsiusmēt Dei oraculo, pulvrem, sive corpus, reversurum esse *in terram suam*, unde erat, spiritum vero, animum scilicet, redditum *ad Deum*, qui dedit illum (c): justorum animas esse *in manu Dei*, neque unquam fore, ut *tormentum mortis* eas attingat (d): Christum Dominum dicturum esse justis in die judicii, ut ad eum veniant benedicti a Patre, regnumque accipiāt, quod a constitutione Mundi illis paraverat misericors Pater; impiis autem ex adverso, ut eant maledicti in ignem æternū, quem diabolo, ejusque angelis tunc itidem constituit justissimus iudex (e). Prætero innumera alia id genus oracula, quibus Deus nos certos reddit, animam nostram in æternū esse duraturam. Hæc enim, quæ summis modo labiis delibavimus, rem ipsam satis evincunt.

108.

(a) Lib. I. Etib.

(b) Lib. XII. de locis Theol. cap. 14.

(c) Ecclesiastes. cap. XII. v. 7.

(d) Sapientiæ cap. III. v. 1.

(e) Matthæi cap. XXV. v. 34. &amp; seq.

## I I.

108. Haud justus videretur Deus, si nullum futurum esset præmium virtuti, nulla poena peccatis; atque hinc si una cum corpore animus in morte periret, nihilque hominis relinqueretur, quod pro conditione eorum, quæ gessit in vita, præmium, suppliciumve recipere. Si nihil est post hanc vitam, inquit S. Joannes Chrysostomus, ne Deus quidem est. Sin Deus est, justus est: quod si justus sit, pro dignitate tribuet unicuique. Si nihil post hanc vitam sit, quomodo, quod par est, recipiet unusquisque (a)? Nec enim temere, nec fortuito, ut præclare advertit Cicero, sati & creati sumus; sed profecto fuit quædam vis, quæ generi consuleret humano; nec id gigneret, aut aleret, quod, cum exantlavisset omnes labores, tum incidet in mortis malum sempiternum (b). Profecto nulla omnino Respublica, ut ait doctissimus Melchior Canus, quod Solon verissime dixit, nisi duabus rebus, contineri potest, premio, & pena. Quæ causa Platonem movit, ut, quoniam videbat optimos saepe viros pro rebus præclare gestis nullo in hac vita præmio virtutis, nullo insigni honoris, nullo monimento laudis decoratos, assereret animos immortales, officii præmium, & fructum aliquando accepturos; absurdum quippe esse, ut verus, justus, & honestus labor honoriibus, præmiis, splendore careat, si qua est in cœlo pietas, si quod numen, quod talia curet. Non itaque aut campos Elysios, aut Sisyphi saxum, Ixionis rotam, Tantali fistim, poematis solum esse, sed historiae. Nam ut si etæ sint a Poetis isthec omnia, veri tamen significandi gratia, facta sunt, ut utilissima illa, verissimaque sententia in animis hominum inscriberetur: **RECTE FACTIS PRÆMIA, PECCATIS SUPPLICIA DEBERI** (c).

## I II.

109. Quod si quis dicat, peccatum sibi ipsi esse poenam, juxta illud S. Augustini iustisti (Domine) & sic est, ut pena sua sit omnis inordinatus animus (d), arguitur contra, quia aut peccatum est sufficiens poena peccati, aut non. Si primum: ergo in hoc Mundo injuste prorsus puniuntur iniqui, sed relinquendi sunt omnes, ut voluptatibus libere indulgeant suis, & jura quæque contemnant: quod quam iniquum, quam turpe sit, nemo non videt. Sin alterum: ergo aliam, post corporis mortem, admittamus vitam oportet, ne scilicet aut in-

(a) *Orat. de providentia, lice de fato.*(b) *Lib. I. qq. Tuscul. cap. 49.*(c) *Lib. XII. de locis Theol. cap. 4.*(d) *Lib. I. Confess. num. 19. alias cap. 12.*

insignis improbitas maneat sine poena, aut magna virtus sine solatio praemioque relinquatur. Si enim peccatum sibi ipsi adaequata poena non est, neque virtus profecto erit sufficiens praeium virtutis. Si virtus, inquit Lactantius, per seipsum beata non est, quoniam in preferendis malis tota vis ejus: si omnia, que pro bonis concupiscuntur, negligit: si summus ejus gradus ad mortem patet, quandoquidem vitam, que optatur a ceteris, saepe respuit, mortemque, quam ceteri timent, fortiter suscipit: si necesse est, aliquid ex se magni boni pariat, quia suscepti & superati usque ad mortem labores sine praeio esse non possunt; si nullum praeium, quod ea dignum sit, in terra reperitur, quandoquidem cuncta, que fragilia sunt & caduca spernit; quid aliud restat, nisi ut celeste aliquid efficiat, quia terrena universa contemnit? & ad altiora nitatur, quia humilia despicit. Id vero nihil aliud potest esse, quam immortalitas (a). Redilisse proinde Socrates moriturus, etli ethnicus Philosophus, atque adeo sola naturali ductus ratione, duas, ut refert Tullius, esse vias, dixit, duplicesque cursus animorum e corpore excedentium. Nam, qui se humanis vitiis contaminavissent, & se totos libidinibus dedisset, quibus cecati velut domesticis vitiis atque flagitiis se inquinavissent, vel republica violanda fraudes inexpliabiles concepissent, ius devium quoddam iter esse, seclusum a concilio Deorum. Qui antem se integros castosque servavissent, quibusque fuisset minima cum corporibus contagio, seseque ab his semper sevocassent, essentque in corporibus humanis vitam imitati Deorum, his ad illos, a quibus essent profecti, redditum facilem patere (b). Sed quid argumentis colligimus, ut loquar cum laudato Lactantio, aeternas esse animas; cum habeamus testimonia divina? Id enim sacrae literae, ac voces Prophetarum docent. Quod si cui parum videatur, legat carmina Sibillarum. Apollinis quoque Milesii responsum consideret (\*), ut intelligat, delirasse Democritum, & Epicurum, & Dicæarchum, qui soli omnium mortalium, quod est evidens, negaverunt (c).

Obje-

(a) Lib. III *Divin. Instit.* cap. 12.(b) Lib. I. qq. *Tuscul.* cap. 30.(c) *Divin. Instit.* Epitom. cap. 10.(\*) Apollinis Milesii responsum, quod hoc loco memorat Lactantius, relatum ab ipso est Lib. VII *Divin. Instit.* cap. 12. Fert igitur, Apollinem Milesium consultum a Polite quodam, utrumne maneat anima post mortem, num vero resolvatur profrus,& pereat, id ei respondisse: *Anima* quidem, quoad vinculis corporeis tenetur, corruptibilis passiones sentiens, mortalibus cedit doloribus. Cum vero humanam solutionem velocissimam, post corruptum corpus, invenerit, omnis in eterna fertur, nunquam senescens, & manet in totum indomita. Primogenita enim hoc divina disposita providentia.

## Objecta diluntur.

Monendum in limine, iis tantum objectionibus fieri satis hoc loco, quæ humanæ mentis immortalitatem directe labefactare videntur. Quæ namque indirecte illam oppugnant, quatenus nempe eo tendunt, ut evincant, animum eandem cum corpore naturam habere, superiori loco diluimus.

Opponitur itaque primo auctoritas Ecclesiastis, quæ est hujusmodi: *unus interitus est hominis, & jumentorum, & aqua est utriusque conditio. Sicuti moritur homo, sic & illa moriuntur. Similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius. Cuncta subjacent vanitati, & omnia pergunt ad unum locum. De terra facta sunt, & in terram pariter revertuntur. Quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus jumentorum descendat deorsum? Et deprehendi, nihil esse melius, quam latari hominem in opere suo, & hanc esse partem illius. Quis enim eum adducet, ut post se futura cognoscat (a).* Et infra: Viventes sciunt se esse morituros; mortui vero nihil neverunt amplius, nec habent ultra mercedem; quia oblivioni tradita est memoria eorum (b). Postremo: *quodcumque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opes, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas (c).* Ergo, Salomonis judicio, alia non datur vita post mortem; ac proinde immortalis non est mens humana, sed in morte dissipatur tota, penitusque extinguitur.

*R. nego conseq. His enim omnibus in locis non loquitur Salomon ex sententia propria, sed impiorum. Refert nimis, quod iniquitatem animo, non autem quod ipse sentit. Hic Liber, ut egregie observat S. Gregorius Magnus, idcirco Concionator dicitur, quia Salomon in eo quasi tumultuantis turba suscepit sensum, ut ea per inquisitionem dicat, quæ fortasse per temptationem imperita mens sentiat. Nam quot sententias quasi per inquisitionem movet, quasi tot in se personas diversorum suscipit. Sed concionator verax, velut extensa manu, omnium tumultus sedat; eosque ad unam sententiam revocat, cum in ejusdem libri termino ait: Finem loquendi omnes pariter audiamus: DEUM TIME, ET MANDATA EJUS OBSERVA; hoc enim est omnis homo (d).. Hinc doctissimus Praesul Daniel Huetius de hujuscem libri auctore sermonem habens, neque desunt, inquit, hac etate homines in sacris voluminibus mon tam vitiorum suorum medelam, quam impietatis patrocinium querere*

(a) Cap. III. v. 19. & seq.

(b) Cap. IX. v. 5.

(c) Ibidem v. 10.

(d) Lib. IV. Dialog. cap. 4.

reverè soliti, qui his, quæ mox adduximus, verbis errores suos tueantur. Enimvero parum attente sunt in libri hujus lectione versati, in quem si altius penetrassent, non ex sua sententia proferre ea Salomonem, reperissent. Is enim est Ecclesiastæ scopus propositus, ut de finibus bonorum & malorum differat. Varias itaque statim ab initio profert opiniones, easque ad examen se suum revocasse, ac tandem repudiasse, ait, & in ea demum acquiescit, quæ Deum timendum, ac mandata ejus observanda esse tradit (a): idque ex pluribus ipsius libri locis ad evidentiam ostendit Vir eximius; ut proinde nemini dubium esse possit, quin certissime senserit Sapiens, humanam mentem non perire in morte, sed corpori superesse ac vivere; & ita quidem, ut, si corpori copulata ex præscripto vixerit, æterna post mortem consequitura sit præmia; sin aberraverit, voluptatibus libere indulgens suis, igne perpetuo torquenda sit, acriterque sine fine punienda.

Dices: ex Jobi sententia, lignum habet spem; si præcissum fuerit, rursum virescit, & rami ejus pullulant. Si senuerit in terra radix ejus, & in pulvere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam, quasi cum primum plantatus est. Homo vero cum mortuus fuerit, & nudatus atque consumptus, ubi quæso est (b)? Ergo homo ita perit in morte, ut illius nihil plane supersit.

R. neg. conseq. Non enim de anima rationali loquitur Job, sed de homine, prout est aliquod ex anima rationali atque corpore intrinsecus constitutum. Ait propterea: homo cum mortuus fuerit, atque consumptus, ubi quæso est? quasi dicat, ita perit homo in morte, ut, secus atque de arboris ramo contingit, revirescere natura sua non possit, quatenus nempe illius anima separatur a corpore, Deique potentia opus est, ut illi iterum conjungatur; cum e contrario ramus arboris a trunco præcisus, perinde ac dum illi est copulatus, suam habeat animam; unde terræ infixus vegetare optime potest, germinare, & comam facere.

Hanc porro fuisse Jobi mentem, ex eo vel maxime patet, quod de animæ rationalis immortalitate, de altera illius vita apud inferos, deque carnis resurrectione differuerit adeo aperte, ut hisce de rebus ne leviter quidem ipsum dubitasse, res sit perspicua. Hinc doctissimus Lyranus ad illa verba hæc habet: ubi quæso est? quasi dicat, ex hoc concluditur anima hominis esse immortalis, in qua resurrectio expectatur. Sciendum autem, quod istæ rationes, sicut & consimiles, quas ponit Job de immortalitate animæ, & resurrectione, quamvis non sint de-

(a) Demonstrat. Evangel. prop. 4. de libro Ecclesiastis.

(b) Cap. XIV. v. 9. & seq.

demonstrativa, sunt tamen persuasiones probabiles, quod sufficit in proposito. Iste enim liber rhetorice procedit, ut frequenter dictum est. Sicut autem ad Geometram pertinet demonstrare, ita ad Rhetorem persuadere, ut habetur. I. Ethicorum.

Opponitur. 2. Anima rationalis una cum corpore nascitur. Ergo simul cum illo intereat necesse est, experientia demonstrante, id omne corruptioni esse obnoxium, quod generationi subjicitur.

R. 1. neg. ans. Ut enim suo loco dicemus, anima rationalis non producitur simul cum corpore, sed a Deo creatur, formato jam corpore, nempe cum ea in illo habetur organizatio, quæ satis est, ut, anima ipsi corpori infusa, quod inde emergit compositum, vitæ functiones exerceat.

R. 2. disting. ans: anima cum corpore nascitur, per generationem, nego ans; per creationem, concedo ans, & nego conseq. Nascitur ergo anima cum corpore; at non ita, ut, quemadmodum corpus, ipsa quoque per naturalem generationem producatur. Fit corpus per generationem, quia est ens compositum. Contra vero anima, utpote substantia simplex, nequit produci, quin ex sui nihilo fiat. Hinc perire illud potest, & perit re ipsa, viribus naturæ, quia sola partium dissolutione interimitur. At mens cum perire non possit, quin in sui nihilum redigatur, idque naturæ vires prorsus exceedat, dissipari nequit, cum perimitur homo, sed, licet una cum corpore nata, sine corpore tamen post mortem existit. Par igitur ratio non est, dato etiam, ut anima, atque corpus una simul nascantur. Hinc Laetantius, corpus, inquit, quoniam factum ex ponderoso, & corruptibili elemento, & tangibile est, & visibile, corruptitur, atque occidit; nec vim repellere potest, quia sub aspectum, & sub ictum venit. Anima autem, quia tenuitate sua omnem tactum fugit, nullo ictu dissolvi potest. Ergo quamvis inter se conjuncta, & sociata nascantur, & alterum, quod est de terrena concretione formatum, quasi vasculum sit alterius, quod est a cœlesti subtilitate deductum: cum vis aliqua utrumque discreverit, quæ discretio mors vocatur, tum utrumque in naturam suam redit. Quod ex terra fuit, in terram solvitur. Quod ex cœlesti spiritu, id constat, ac viget semper, quoniam divinus spiritus sempiternus est. Denique idem Lucretius oblitus quid assereret, & quod dogma defenderet, hos versus posuit:

Cedit enim retro, de terra quod fuit ante,

In terram; sed quod missum est ex ætheris oris,

Id rursus Cœli fulgentia templa receptant.

Quod ejus non erat dicere, qui perire animas cum corporibus differebat,

bat, sed vietus est veritate, & imprudenti ratio vera surrepfit. Præterea id ipsum, quod colligit, dissolvi animam, hoc est, simul cum corpore interire, quoniam simul nascantur, & falsum est, & in contrarium converti potest. Non enim simul interit, sed anima discendente, integrum per dies multos manet, & plerumque medicatur, diutissime durat. Nam si, ut simul nascuntur, simul interirent, non discederet repente anima, corpusque desereret, sed uno temporis puncto utrumque pariter dissiparetur, & tam celeriter etiam corpus, adhuc spiritu in eo manente, deliquesceret ac periret, quam celeriter anima secedit: imo vero dissoluto corpore, animam vanesceret, velut humor fracto vase diffusus. Nam si terrenum, & fragile corpus post secessum animæ non statim defluit, in terramque tabescit, ex qua illi origo est; ergo anima, quæ fragilis non est, in aeternum manet, quoniam origo ejus eterna est (a).

Porro corruptioni obnoxium esse, experientia teste, quidquid generationi subjicitur, verum quidem est, si de generatione proprie sumta id intelligatur, nimisrum si sumatur generatio pro rei productione ex præexistente subjecto; fallit vero, si sit sensus, nihil ipsa sua natura durate in aeternum posse, quod per creationem in tempore existit. Sicuti enim id natura sua ingenerabile est, ita est etiam intrinsecus incorruptibile. Id, quod ajunt, inquit S. Augustinus, omne, quod in tempore caput esse, immortale esse non posse; quia omnia orta occidunt, & aucta senescunt, ut eo modo credi cogant, animum humanum ideo esse immortalem, quod ante omnia tempora sit creatus, non movet fidem nostram. Ut enim alia taceam, caput esse in tempore immortalitas Christi, quæ tamen jam non moritur, & mors ei ultra non dominabitur (b).

Opponitur 3. Anima rationalis est forma corporis. Ergo, cum perire corpus, pereat & ipsa necesse est, experientia demonstrante, perire formam, cum perimitur subjectum, quod ab illa perficitur.

*R. disting. ans;* anima rationalis est forma corporis, verum hujusmodi, ut sine illo existere queat natura sua & operari, concedo ans. Est forma corporis, & quidem adeo, ut ab illo tum in existendo, tum in operando intrinsecus, ac proinde necessario dependeat, nego ans, & conseq. Anima igitur est forma corporis, quia ipsum perficit, unumque compositum determinatæ speciei, hominem scilicet, cum illo constituit. At simul ejus naturæ ipsa est, ut a corpore, neque ut sit, neque ut operetur, intrinsecus dependeat. Hinc, corrupto corpore, ipsa non perit. Pereunt autem ceteræ formæ, si earum

Phil. Ment. T. II.

L

subje-

(a) Lib. VII. Divin. Inflit. cap. 12.

(b) Epist. CLVI. n. 14., alias XXVIII. c. 5.

subjectum vitiatum nimis fuerit; quia, cum, si loquamur de materialibus, nihil illæ sint a certa subjecti modificatione diversum; eaque sit modi cuiusque natura, ut sine subjecto nec esse possit, neque concipi, necessario perire ipsæ debent, vitiato subjecto, quod afficiunt.

Opponitur 4. Si anima rationalis esset immortalis, hanc haberet prærogativam, vel quia *substancia* est, vel quia *spiritualis*. At si ve *substancia*, sive *spiritualis* ratio habeatur, prærogativam hanc habere nequit. Ergo &c. Prob. min. Non enim quia *substancia*; cum plures *substancias* perire, certum sit. Neque propterea quod *spiritualis*; cum gratia, & habitus ipsius animæ sint spirituales, & tamen pereant.

R. Animam rationalem esse immortalem, non quia *substancia*, neque propterea quia *spiritualis*, si tum *substancia*, tum *spiritualitatis* attributum generatim sumatur; sed quia *substancia simplex*, est, simulque talis, ut cogitet. Quia enim est *substancia simplex*, per actionem creati agentis perire non potest, & ideo maneat, necesse est, corpori post mortem superstes. Quia autem est *substancia cogitans*, illius est naturæ, ut operari, ac proinde vivere, etiam sejuncta a corpore possit.

Opponitur 5. Si humana mens non periret in morte, sed corpori superesset, ac viveret, homo

*Non jam se moriens dissolvi conquereretur,*

*Sed magis ire foras, vestemque relinquere, ut anguis,*  
*Gauderet (a).*

Quam autem id falsum sit, ignorat nemo, qui morientem hominem viderit. Ergo &c.

R. Cum Lactantio, me nunquam vidisse, et si plures morientes viderim, qui se quereretur in morte dissolvi. Sed ille fortasse Epicureum aliquem viderat, etiam dum moritur, philosophantem, ac de sui dissolutione in extremo spiritu differentem. Quomodo sciri potest, utrumque dissolvi se sentiat, an corpore literari, cum in exitu lingua mutescat? Nam, dum sentit, & loqui potest, nondum dissolutus est; ubi dissolutus est, jam nec sentire, nec loqui potest, ita queri de dissolutione aut nondum potest, aut jam non potest. At enim non prius, quam dissolvatur, intelligit, se dissolutum iri. Quid, quod videmus plerosque morientium non dissolvi conquerentes, ut ait, sed exire se, & proficisci, & ambulare testantes, idque aut gestu significant, aut, si

(a) Lucretius lib. III. *de rerum natura* v. 615.

*si adhuc possunt, & voce pronuntiant* (\*). Unde apparet, non dissolutionem fieri, sed separationem, qua declarat, animam permanere (a).

*Opponitur ultimo.* In sexta Synodo approbatæ fuerunt epistolæ Sophronii, in quibus aperte traditur, intellectualia, atque invisibilia, angelos scilicet & animam rationalem, immortalia quidem esse, at non per naturam, sed per gratiam. Ergo humana mens non est natura sua immortalis.

*R. disting.* aūs: intellectualia non sunt immortalia tam *intrinsecus*, quam *extrinsecus* per naturam, concedo aūs. Non sunt immortalia *intrinsecus* per naturam, nego aūs, & conseq. *Intrinsicā* itaque immortalitas animæ rationali, atque angelis naturalis est. Gratuita vero immortalitas extrinseca. De hac autem, non vero de illa, intelligendus est Sophronius, iique cum eo omnes, qui ajunt, animam rationalem nonnisi per gratiam Dei esse immortalem. Sensus nimirum est, animam rationalem indigere auxilio conservativo Dei, ut post mortem corpori superstes vivat, licet illius sit naturæ, ut ab agente creato neque possit destrui, neque vita privari.

## SECTIO TERTIA.

### *De origine mentis humanae.*

*PRO.* **O** Stensa incorporea humanæ mentis natura, ejusque *intrinsecā* immortalitate demonstrata, reliquum est, ut illius originem investigemus. Observandum est igitur, non unam fuisse hac super re omnium Philosophorum, Theologorumque sententiam.

#### I.

III. Prima, eaque omnium sane absurdissima, opinio illorum fuit, qui, ut elegantissime ex eorum mente cecinit olim Virgilius,  
*Esse apibus partem divine mentis, & haustus*  
*Ethereos dixerunt. Deum namque ire per omnes*  
*Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum.*  
*Hinc homines, armenta, viros, genus omne ferarum*  
*Quemque sibi tenuem nascentem arcessere vitam* (b):

#### L. 2.

vide-

(a) Lib. VII. *Divin. Instit.* cap. 12.

*non ægre mortem obire. Sperare enim, se*

(b) Lib. IV. *Georgie.* v. 19.

*conventurum ex Philosophis Pythagoram, ex*

(\*) Refert Ælianus lib. XIII. variarum  
*bistoriarum* cap. 20., civem quedam Me-  
galopolitam ex Arcadia, Cercidam nomi-  
ne, morientem dixisse familiaribus suis, se:

*Historicis Hicet æum, ex Musicis Olympum,*

*ex Poetis Homerum. Et hæc effatum, ut fa-*

*ma est, vitam amississe.*

videlicet animam non hominum tantum, verum & pecudum, certarumque belluarum particulam esse ex ipsa Dei substantia avulsa, atque corporibus copulatam. Ita porro de humanæ mentis origine senserunt Pythagoras, & Euripides. Censuit quippe ille, Deum esse *animum per naturam rerum omnem intentum, & commantem, ex quo nostri animi carperentur* (a), nempe demitti animos e cælo, divinæque mentis eos esse non solum munus, sed etiam partem præcipuam ac propriam (b); unde ipsum redarguit Tullius, quod non viderit, *distractione humanorum animorum discerpi, & laccerari Deum* (c). Euripides vero, non contentus divinum aliquid, quemadmodum ipsum appellat Tullius, esse animum dicere, contendere ausus est, hominis mentem, atque Deum nulla proorsus inter se ratione discerni (d). Manichæi quoque, ut refert S. Augustinus, nihil aliud dixerunt esse animam, quam ipsam Dei substantiam, atque id omnino, quod Deus est (e); neque aliter hac ipsa super se, si S. Hieronymo danda est fides (f), senserunt Stoici, & Priscillianistæ. Pessimam demum hanc, vetustate jam absoletam, de origine humanæ mentis sententiam impius nuper exsuscitavit Spinola. Cum enim nullum ille, ut suo loco dicemus, inter Dei, mundique substantiam discrimen ponat, sicuti rationalis anima est pars substantiæ mundi, unam quoque Divinæ substantiæ, Spinosæ judicio, mentem ipsam esse particulam, conjectarium est.

## I L.

112. Alia de animæ origine fuit Platonis opinio. Censuit quippe Philosophus ille nobilis, animas rationales esse particulas non quidem substantiæ Dei, sed animæ Universi, ita nempe ut, quemadmodum humanum corpus corporis Universi pars est, ita animus humanus sit illius animæ, quæ Universum perficit, una veluti portio. Hominis namque productionem explicans Vir summus, ait, rationales animas conditas a Deo fuisse, quatenus rerum omnium Opifex in eodem cratero, in quo Mundi totius animam permiseens temperaverat, superioris temperationis reliquias miscendo perfudit modo quodam eodem, non tamen perfectas similiter, sed secundo & tertio gradu a primis deficientes (g). Hinc Macrobius Mundi animam

ex

(a) Tullius Lib. I. de natura Deorum c. 11.

(b) Auctor libri de consolatione, vulgo Tullio adscripti.

(c) Lib. I. de natura Deorum cap. 11.

(d) Lib. I. qq. Tuscul. cap. 26.

(e) Lib. VII. super Genesim ad litteram num. 17., alias cap. 11.

(f) Epist. inter Augustinianas CLXV. num. 1., alias XXVII. cap. 1.

(g) In Timœo.

ex Platonis mente animarum omnium fontem appellat (a). Primus tamen non fuit Plato, qui hominum animas ex una Mundi anima decertas dixerit; quippe etiam Orpheus dicebat, auctore Stobæo, unam esse general em animam, ex cuius multiplici divisione particulares animo orientur.

## III.

113. Arbitrabatur insuper Plato, singulas animas, statim ac a summo rerum omnium Opifice conditæ fuerant, in totidem ab eo fuisse astris collocatas, tum humanis copulatas esse corporibus, ex quibus cum exeunt, iterum ad astra redire, atque ex his iterum descendere, aliisque, & quidem pro meritorum conditione diversis, ut nova animantia fiant, corporibus copulari. Plato persuadere conatus est, inquit S. Augustinus, vixisse hic animas hominum, antequam ista corpora gererent (b); atque insuper eas nec sine corporibus durare perpetuo, sed alternantibus vicibus indefinenter vivos ex mortuis, & ex viis mortuos fieri putat; ut a ceteris hominibus hoc videantur differre sapientes, quod post mortem ferantur ad sidera, ut aliquanto diutius in astro sibi congruo quisque requiescat, atque inde rursus miseria pristina oblitus, & cupiditate habendi corporis victus, redeat ad labores arumnasque more alium; illi vero, qui stultam duxerint vitam, ad corpora suis meritis debita, sive hominum, sive bestiarum, de proximo revolvantur (c). Ita enim ipse loquitur Plato: cum universum constituisse (Deus), astris parem numerum distribuit animarum, singulis singulas adhibens, eisque tamquam vehiculo impositis monstravit universi naturam. Tum enumeratis vitiis, quibus obnoxia esse potest humana mens corpori copulata, hac, inquit, qui superaverint, eos juste esse victuros, injuste vero qui ab his fuerint superati. Atque illum, qui recte curriculum vivendi a natura datum confecerit, ad illud astrum, cui accommodatus fuerit, reversum, beatam vitam acturum. Contra vero agentem, cogi in ortu secundo, sexu mutato, fieri mulierem. Et qui ne tunc quidem finem peccandi faciet, quatenus depravatur, eatenus in brutorum naturam suis motibus similem permutari (d).

## IV.

114. Origenistarum hac super re fuit sententia, rationales animas non tantum antiquiores esse corporibus, quemadmodum senserat Pla-  
Phil. Ment. T. II.

L 3

to,

(a) Lib. I. in somnium Scipionis.

(c) Lib. XIII. de Civitate Dei cap. 19.

(b) Lib. XII. de Trinitate num. 24.

(d) In Timœo.

alias cap. 15.

to, verum etiam eas omnes ob id in corpora, velut in carcerem, fuisse detrusas, quod, antequam sensibilis conderetur Mundus, lapiæ sint in errores, turpiterque peccaverint. *Animas*, dicunt Origenistæ, inquit S. Augustinus, non quidem partes Dei, sed factas a Deo, peccasse a Conditore recedendo; & diversis progressibus, pro diversitate peccatorum, a cœlis usque ad terras diversa corpora, quasi vincula, meruisse. Et hunc esse Mundum, eamque causam Mundi fuisse faciendi, non ut conderentur bona, sed ut mala cohíberentur (a).

## V.

115. Rejecto Platonicorum, atque Origenistarum delirio, putarunt alii animam rationalem ex parentibus in filios per traducem propagari, hoc est, animam filii esse unam illius animæ partem, quæ in patre existit, eamque, vehiculo seminis, filii corpusculo, quod in matris utero delitescit, communicari, ineffabiliterque conjungi. Ita olim autumarum Tertullianus, & Appollinaris, nihilque definire voluit S. Augustinus. Scribens enim S. Doctor ad Renatum Monachum, dico, inquit, etiam ego de anima mea, nescio, quomodo venerit in corpus meum; neque enim ego illam mihi donavi. Scit iste, qui donavit, utrum illam de patre meo traxerit; an sicut primo homini, novam creaverit. Sciam etiam ego, si ipse docuerit, quandocunque voluerit. Nunc autem nescio, nec me pudet, ut istum, fateri nescire, quod nescio (b). Interrogatus itidem ab Optato, utrum anima, ut corpora, propagatione nascantur, respondit: de quare antequam aliquid admoneam sinceratatem tuam, scire te volo, in tam multis opusculis meis nunquam me fuisse ausum, de hac questione definitam proferre sententiam, & impudenter referre in literas ad alios informandos, quo apud me non fuerit explicatum (c). Nolim tamen, ut quis propterea putet, S. Augustinum in eam sententiam propendisse, quæ ponit, animam rationalem ex parentibus in filios, seminis ope, propagari. Optatum quippe monet S. Doctor, ut defendat, quantum potest, atque afferat, animarum infantium ejusmodi esse novitatem, ut nulla propagatione ducentur (d). Non omittendum postremo, etiam IX. Christi sæculo latuisse plurimos, quid certo de humanae mentis origine sentire debuissent. *Nascitur de carne caro*, scribit S. Prudentius Episcopus Tri cassinus, qui laudato sæculo floruit, sed utrum & anima similiter de ani-

(a) Lib. XI. de Civitate Dei cap. 23.

(b) Lib. I. de anima, & ejus origine n. 25. alias cap. 15.

(c) Epist. CXC. num. 2.; alias CLVII.

cap. 1.

(d) Ibidem num. 23., alias cap. 4.

*anima nascatur; magna quæstio est, & a Patribus diu multumque discussa, sed absque certa definitione relicta (a).*

## V I.

116. Cl. Volfius fatetur quidem, animam rationalem ex parentibus in filios per traducem propagari non posse, sed a solo Deo per creationem fieri; verum, Leibnitium sequutus, contendit, animas omnium hominum, qui fuerunt, existunt modo, atque ad finem usque Mundi nascituri sunt, initio simul conditas a Deo fuisse, easque singulas suis inclusas corpusculis, quæ in Evæ ovario, juxta involutorum hypothesim, quam in Physica explicavimus (b), eodem simul tempore ipse formaverat. *Anima, inquit, præexistunt in corpusculis organicis præexistentibus, ex quibus fetus in utero formatur;* hancque suam assertionem ita explicat: *Hodie pro certo atque explorato habetur, fetus in utero materno non generari ex massa seminis rudi atque indigesta, sed ex corpusculo organico præexistente, sive organicam istud corpusculum sit animalculum spermaticum, sive quocunque aliud rudimentum fetus: quod in Physicis accuratius discutiendum, nobis hic perinde est.* Enimvero quoniam generatio non admittitur, nisi ex præexistente organico, quia vi corporum ex massa rudi, & indigesta, quam chaos dicimus organicum quid formari, concipi nequit, corpuscula præexistenta organica aut necessario existunt, itaut impossibile sit, materiam existere alia forma (qua est Atheorum impia hypothesis), aut in primo rerum ortu creata fuere (quod in Theologia naturali evincimus). Jam animæ, tamquam substantia simplices (§. 48.), itidem aut necessario existunt (§. 689. Ontol.), aut, si orientur, per creationem oriri debent (§. 698.): quod posterius veritati consentaneum in Theologia naturali demonstratur. Quamobrem sive animas, & corpuscula organica, quæ fætuum rudimenta continent, necessario existere fings, si ve utramque substantiam a Deo creatam esse in prima rerum creatione ponas, evidens est, animas hominum præexistere debere in corpusculis organicis, ex quibus fetus in utero formatur (c); ac propterea animas ipsas cum corpusculis organicis, quæ fetus rudimenta continent, in uterum matris deferri (d), cum hominis conceptio efficitur.

## V I I.

117. Ponit demum postrema opinio, animas rationales a solo  
L 4 Deo

(a) Lib. de Prædestin. adv. Joannem  
Erigenam cap. 16.

(c) Psychol. rational. §. 704.  
(d) Ibidem §. 705.

(b) Tom. IV. Dissert. VI. sect. 2.

Deo fieri per creationem; eas tamen neque antiquiores esse corporibus, neque initio temporis simul omnes conditas ab illo fuisse, suisque organicis corpusculis copulatas, sed quotidie tunc a Deo ex nihilo produci, suoque singulas corpusculo infundi, cum ad eum statum in matris utero illud pervenerit, in quo vitæ functiones valeat exercere. Sive porro organicum illud gignendi foetus corpusculum ex seminum commixtione in utero matris elaboretur, sive formatum initio temporis a Deo fuisse dicatur, & ovo femineo inclusum, perinde est. Satis est enim, ut ad vitæ munera obeunda non sit idoneum, nisi masculini seminis aura accedat, ovumque femineum, sua vi & energia, secundum reddat. Hæc sententia veterum omnium est tam Philosophorum, quam Theologorum, iis exceptis, qui animas dixerunt vel corporibus antiquiores, vel ex parentibus in filios traducem propagari. Rationalis itaque animæ originem investigatu*ri*, paucis discutiemus, utrum lapsa de cælo sit, ut Pythagoras philosophus, omnesque Platonici, & Origenes putant: an a propria Dei substantia, ut Stoici, Manichæus, & Hispana Priscilliani heresi suspicantur: an in thesauro habeantur Dei olim condita, ut quidam Ecclesiastici stulta persuasione confidunt: an quotidie a Deo fiant, & mittantur in corpora, secundum illud quod in Evangelio scriptum est: Pater meus usque modo operatur, & ego operor: an certe ex traduce, ut Tertullianus, Apollinaris, & maxima pars occidentalium autemarunt: ut, quomodo corpus ex corpore, sic anima nascatur ex anima, & simili cum brutis animantibus conditione subsistat (a).

### DEFINITIO.

118. *Intrinsicus ingenerabile vocari solet id omne, quod non potest fieri, nisi per creationem.* Sic angeli dicuntur intrinsicus ingenerabiles, quatenus nempe illius sunt naturæ, ut tantum per creationem queant produci.

### COROLLARIUM.

119. *Omnis substantia simplex est intrinsicus ingenerabilis.* Fieri quippe non potest, nisi per creationem (P.I. §. 239.).

HY-

(a) S. Hieronymus Epist. inter Augustinianas CLXV. num. 1., alias XXVII. cap. 1.

## H Y P O T H E S I S.

120. *Nullum agens creatum potest quidquam eorum efficerē, quae non nisi per creationem esse possunt. Soli quippe Deo convenit creandi virtus. Neque enim fas est, inquit S. Augustinus, ullius naturae, quamlibet minime mortalisque, creatorem, nisi Deum, credere ac dicere (a).*

## C O R O L L A R I U M.

121. *Substantia simplex fieri ab agente creato minime potest. Propterea namque hujuscemodi substantiae creatio est (P. I. §. 239.).*

## P R O P O S I T I O I.

*Mens humana non est particula Divinae substantiae corporis organico copulata.*

122. *Probatur. Si namque humana mens esset particula decerpta ex Divina substantia, Deus esset in partes re ipsa divisibilis. Hoc autem absurdum adeo est, atque falsum, ut nihil absurdius, magisque falsum excogitari possit. Ergo &c.*

*Confirmatur ex S. Augustino. Rem quippe agens S. Doctor contra Fortunatum Manichæum, si queris, inquit, utrum a Deo descendenter anima, magna quidem quæstio est: sed sive a Deo descendit, sive non, illud de anima respondeo, non esse Deum; aliud esse Deum, aliud animam. Deum esse inviolabilem, incorruptibilem, & impenetrabilem, & incuinquibilem, & qui ex nulla parte corrumpi possit, & cui nulla ex parte noceri potest. Animam vero videmus & peccatricem esse, & in crumna versari, & veritatem querere, & liberatore indigere. Hec mutatione animæ ostendit mihi, quod anima non sit Deus. Nam, si anima substantia Dei est, substantia Dei errat, substantia Dei corruptitur, substantia Dei violatur, substantia Dei decipitur: quod nefas est dicere (b). Ita quoque ad S. Hieronymum scribit S. Doctor: Non est pars Dei anima. Si enim hoc esset, omni modo incommutabilis, & incorruptibilis esset. Quod si esset, nec deficeret in deterius, nec præficeret in melius, nec aliquid in se met ipsa vel inciperet habere, quod non habebat, vel desineret habere, quod habebat, quantum ad ejus ipsius affectiones per-*

(a) Lib. XII. *de civitate Dei* cap. 24.

(b) Disp. I. num. 11.

pertinet. Quam vero aliter se habeat, non opus est extrinsecus testimonio. Quisquis semetipsum advertit, agnoscit. Frustra autem dicitur ab eis, qui animam Dei partem esse volunt, hanc ejus labem & turpitudinem, quam videmus in nequissimis hominibus, hanc denique infirmitatem, & agritudinem, quam sentimus in omnibus hominibus, non ex ipsa illi esse, sed ex corpore. Quid interest, unde agrotet, quæ, si esset incommutabilis, undelibet agrotare non posset? Nam quod vere incommutabile, & incorruptibile est, nullius rei accessu commutari, vel corrupti potest. Alioquin non Achille a tantum, sicut fabulæ fuerunt, sed omnis caro esset invulnerabilis, si nullus ei casus accideret. Non est itaque natura incommutabilis, quæ aliquo modo, aliqua causa, aliqua parte mutabilis est. Deum autem nefas est, nisi vere summeque incommutabilem credere. Non est igitur anima pars Dei (a).

### PROPOSITIO II.

*Anima rationalis non est particula decerpta ex anima universi.*

123. *Probatur.* Quæ namque singitur universi anima, vel substantia spiritualis est, vel corporea. Si spiritualis: ergo, cum in partes nequeat illa secari (§. 39.), humana mens una illius particula esse non potest. Si corporea: ergo repugnat prorsus, ut humana mens, quippe quæ substantia spiritualis est (§. 74.), ex illa, veluti pars ex toto, avulsa dicatur. Utcumque ergo res sit de anima universi, certissimum manet, animam rationalem pro una illius particula haberi non posse.

### PROPOSITIO III.

*Anima rationalis ex parentibus in filios per traducem non propagatur.*

124. *Probatur.* Admitti non potest, animam rationalem ex parentibus in filios per traducem propagari, quin corporea ipsa esse dicatur. Ut enim habet S. Augustinus, illi, qui animas ex una propagari afferunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eas ex parentibus trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequuntur, profecto eas non spiritus, sed corpora esse contendunt, & corpulentis seminibus exoriri (b). Sane, cum propagatio per traducem in eo consistat, ut una portio illius substantiæ, quæ ex uno in aliud hoc modo dif-

fun-

(a) Epist. CLXVI. n. 3., alias XXVIII. cap. 2.

(b) Epist. CXC, num. 14., alias CLVII. cap. 4.

funditur, decidat ex generante, & genitum subeat, in quod per traducem dicitur propagari, nequit anima rationalis, quæ in parte existit, propagari in filium, nisi plures particulas ipsa contineat, quarum una se Jungi a suo toto optime possit, & seminis vehiculo in illud transfundi corpusculum, cui pater ipse, cum filium generat, impertitur & motum, & vitam; ac proinde nisi sit corporea (§. 7.). Secari namque, seu dividi, augeri, vel minui pro substantia sua spiritus nequit; non enim potest esse major, sed melior (a). Constat autem, animam rationalem esse substantiam spiritualem (§. 47.), in integralibusque partibus eam omnino carere (§. 38.). Ergo nequit, corporeæ instar substantiæ, per traducem propagari.

Neque eos juvat, qui propagationi animæ rationalis per traducem patrocinantur, illud Geneseos cap. 46. v. 26.: cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum, & egressæ sunt de femore illius. Non juvat, inquam; quandoquidem animæ nomine totus hic homo intelligitur, non vero ea tantum substantia, a qua humani corporis vita dependet. Unde sensus illorum verborum est: cunctæ animæ, id est cuncti homines: quæ egressæ sunt de femoribus Jacob, hoc est, qui ab illo per generationem descenderunt &c. Nullus est enim, quem lateat, homines viles vulgo vocari viles animas; & vicissim, qui strenui in bello fuere, fortes animas nuncupari. Sufficit autem, quoad corpus descendat filius de femore patris, ut totus ipse filius de patris femore descendisse dicatur. Etsi enim corpus non sit hominis pars princeps, ea tamen est, quæ in homine nobis immediate occurrit, quæque sola, cum hominem intuemur, a nobis conspicitur; & sicuti statua dicitur opus artificis, quamvis nonnisi quoad formam a statuari dependeat, ita homo dicitur ab homine genitus, et si nonnisi corpus paternæ actioni acceptum referri possit (b).

Si quis autem quærat, quomodo, posito Recentiorum systemate de viventium generatione ex ovis, ac proinde de existentia corpusculi organici gignendi foetus in ovo femineo, stare possit, filium exire de femoribus patris; cum, hac facta hypothesi, filius ne quidem quoad corpus ex patris femoribus egrediatur: dico, filium, hoc systemate posito, exire ex femoribus patris, quatenus ex hujus lumbis ea exit seminalis aura, a qua femineum ovulum secundum redditur, gignendique foetus corpusculo, quod in illo delitescit, talis communiciatur motus atque vigor, qualis in illo requiritur, ut rationalis anima-

(a) Auctor libri de spiritu, & anima  
cap. 40.

(b) Vide S. Augustinum Epist. CXC.  
num. 18, 19., alias CLVII. cap. 5.

ma, ex lege naturæ, ipsi a Deo infundatur, & homo fiat. Quoniam porro hæc seminalis aura ex patre in filios per traducem propagatur, atque in eos, quos ipsi quoque generant, ex illis constanti lege diffunditur, si etiam ex illius femoribus mediate scilicet, exire dicuntur, a quo eorum parentes naturali generatione descenderant.

Verum instant molestius, intelligi nempe non posse, quomodo ea Adami labes, quæ originale peccatum dicitur, in posteros transferre, ipsisque communicari potuerit, si illorum animæ ex una Adæ infecta propagatae per traducem haudquaquam fuerint. Ut enim olim apud S. Augustinum (a) argumentabatur Pelagius, si anima ex traduce non est, sed sola caro tantum habet traducem peccati: sola ergo pœnam meretur. Injustum est enim, ut hodie nata anima non ex massa Adæ, tam antiquum peccatum portet alienum; quia nulla ratione conceditur, ut Deus, qui propria peccata dimittit, unum imputet alienum.

Sed contra: nam, si anima filii ob id nascitur originalis peccati laba infecta, quod ex una decidat patris anima jam obnoxia peccato, verum itidem erit, fore, ut anima filii iisdem sit instructa virtutibus, quibus illa, cuius una est pars, ornata est anima; stabitque propterea, ex patre probo & docto nonnisi probum atque doctum filium nasci posse; nonnisi stultum vero atque improbum ab eo, qui fatuus improbusque est, posse generari. Hoc autem quam falsum sit, necit nemo. Ergo non ideo originali labes a filio contrahitur, quia ipsius anima ex infecta anima patris, veluti pars ex toto, in illius generatione deciderit; sed aliunde hujusce rei repetenda ratio est. Dico ergo, animam rationalem originali culpa ex eo pollui, quod corruptæ carni conjugatur. Certum tenemus, inquit Auctor libri de spiritu & anima cap. 41., quia caro contracta de carne per legem concupiscentiae, quam cito vivificatur, originalis culpa vinculo premitur, ejusque affectionibus anima, qua carnem vivificat, aggravatur. Sub hoc peccati vinculo demerguntur parvuli, qui sine remedio baptismi moriuntur. Habent enim originale peccatum, non per animam, sed per carnem utique contractum, animaque refusum. Carni namque ita unitur anima, ut cum carne sit una persona. Fit enim, auctore Deo, anima & caro unum individuum, unus homo; unde, salva natura utriusque proprietate, adiicitur carni, quod anima est, & animæ, quod carnis est, pro unitate persona, non pro diversitate natura. Quod igitur ibidem singulis est proprium, commune fit amborum; proprium pro natura, commune pro persona. Exinde fit anima originali culpa obnoxia, quam caro contrahit &

ani-

(a) Epist. CXC, num. 22. alias CLVII. cap. 6.

*animæ refundit, cum qua unita est in persona, licet divisa in natura.* Porro licet S. Augustinus, ut superiori loco innuimus, incertus fuerit de origine animæ, attamen, posito eam per traducem non propagari, aperte & ipse docuit, originalis peccati labem ob id ab anima contrahi, quod infectæ carni, unione ineffabili, copuletur. Inquit enim: *profecto aut utrumque (anima scilicet, & corpus) vitiatum ex homine trahitur; aut alterum in altero (nempe anima in corpore)* tamquam in vitiato vase corruptitur, ubi occulta justitia divina legis includitur (a). Hinc Magister Sententiarum, caro, inquit, propter peccatum corrupta fuit in Adam, adeo ut cum ante peccatum vir & mulier sine incentivo libidinis, & concupiscentia fervore possent convenire, essetque thorax immaculatus; jam post peccatum non valet fieri carnalis copula absque libidinosa concupiscentia, quæ semper vitium est, & etiam culpa, nisi excusat per bona conjungii. In concupiscentia ergo, & libidine concipitur caro formanda in corpus prolis. Unde caro ipsa, quæ concipitur, in vitiosa concupiscentia polluitur, & corruptitur, ex ejus contactu anima cum infunditur, maculam trahit, qua polluitur, & sit rea, idest vitium concupiscentiae, quod est originale peccatum (b). Ex originalis itaque peccati propagatione haud recte colligitur, rationalem quoque animam ex parentibus in filium, perinde ac ipsa caro, per traducem propagari.

## PROPOSITIO IV.

*Anima rationalis est substantia intrinsecus ingenerabilis.*

125. *Probatur.* Anima rationalis est substantia physice simplex (§. 44.). Ergo est intrinsecus ingenerabilis (§. 119.).

## COROLLARIUM I.

126. Rationalis anima non nisi per creationem potest produci. Parte ex notione intrinsecæ ingenerabilitatis, quæ superiori loco tradita est (§. 118.). Hinc S. Augustinus, *unum est*, inquit, e duobus: si (anima) ex traduce non est, ex nihilo est, ne ita sit a Deo, ut naturæ sit Dei, quod omnino sacrilegium est credere (c).

SCHO-

(a) Lib. V. contra Julianum num. 17., alias cap. 4.

(b) Lib. II. Senten. Distin. XXXI.

(c) Lib. I. de anima, & ejus origine n. 24. alias c. 15.

## S C H O L I O N.

127. Id ex eo etiam immediate colligitur, quod anima rationalis sit substantia simplex. Stat quippe hoc ipso, eam fieri non posse nisi ex nihilo sui (P.I. §. 238.), atque subjecti (P.I. §. 226.); ac proinde quin illius productio sit vera creatio (P. I. 239.).

## C O R O L L A R I U M . II.

128. *Anima rationalis a solo Deo fieri potest, & re ipsa efficitur.* Soli siquidem Deo competit creandi virtus (§. 120.). Quis negat, inquit S. Augustinus, non unius tantum, sed omnis anima & creatorem Deum atque factorem, nisi qui ejus eloquiis apertissime refragatur? sine ulla quippe ambiguitate per Prophetam dicit: omnem flatum ego feci, animas videlicet intelligi volens, quod verba consequentia manifestant. Non itaque unum, quem factio ex terra homini primo inspiravit, sed omnem flatum ipse fecit, & ipse adhuc facit (a). Rationalis igitur animae origo cœlestis est, sive, ut olim cecinit Lucretius,  
..... cœlesti sumus omnes semine oriundi;  
Omnibus ille idem pater est (b).

## P R O P O S I T I O . V.

*Animæ rationales creatæ non fuere ante corpora, neque in illa, velut in carcerem, detrusæ, ut scelerum, quæ antea ipsa commiserint, pœnas luerent.*

129. Probatur prima pars, scilicet animas rationales non esse corporibus antiquiores. Enimvero, si animæ rationales antiquiores essent corporibus, talis quoque fuisset anima Adæ; omnium quippe animarum eadem prorsus ratio est. Sed anima Adæ antiquior ejusdem corpore nequaquam fuit. Constat enim, Deum non insufflasse in faciem Adæ spiraculum vitæ, hoc est, rationalem illius animam non creasse, quemadmodum omnes Patres, atque Theologi hunc Genesios locum explicant, nisi vel prius formato illius corpore, vel simul ac ipsum condidit, ne scilicet, ut ait S. Gregorius Nyssenus, secum ipse dissidere videatur homo, tamquam diversas in partes, ob temporis in harum ortu discrimen, divisus

(a) Epist. CXC. num. 16., alias CLVII. cap. 5. (b) Lib. II. de natura rerum v. 299.

*visus* (a). Sic enim hominis productionem expressit Moyses: *För-  
mavit Deus hominem, scilicet Adæ corpus, de limo terra, & inspira-  
vit in faciem ejus, nempe formati corporis, spiraculum vitæ, hoc  
est animam rationalem, & factus est homo in animam viventem* (b). Ergo Adæ anima antiquior non fuit illius corpore; ac proinde nullius rationalis animæ creatio productionem sui corporis præcessit.

Confirmatur. Ut enim præclare argumentatur S. Hieronymus, si fuit anima, antequam Adam in paradiſo formaretur, in quolibet statu, & ordine & vixit, & egit aliquid (neque enim possumus incorpoream & eternam, in modum glirium, immobilem torpentemque sentire) necesse est, ut aliqua causa præcesserit, cur quæ prius sine corpore fuit, postea circumdata sit corpore. Et si anima est naturale esse sine corpore: ergo contra naturam est esse in corpore. Si contra naturam est esse in corpore: ergo resurrectio corporis contra naturam erit. Sed non fiet resurrectio contra naturam: ergo juxta sententiam nostram, corpus, quod contra naturam est resurgens, animam non habebit (c). Adde, gratis omnino fingi, animam rationalem antiquiorem esse corpore, eamque cogitasse, antequam corpori conjungeretur, si eorum, quæ ipsa tunc gessit, nulla prorsus nobis memoria inſit. Neque enim ultra datur hujusc e præexistentiæ ratio naturalis, vel tam certa revelatio, cui nefas sit refragari. Nemo est autem, qui aliquid vel minimum eorum, quæ fecerit illius mens, antequam in corpus dilaberetur, memoria teneat. Ego certe, ut loquar cum Tullio, non commemini, antequam sum natus, me miserum, neque, si mavis, beatum. Tu si meliore memoria es, velim scire, ecquid de te recordere (d). Neque aliter quam pro delirio habendum puto, quod de seipso dixerat olim Pythagoras, se nimirum meminisse eorum omnium, quæ sibi contigerant, antequam corpori mens ejus conjungeretur (e). Ergo &c.

Hinc patet altera assertionis pars, videlicet animas rationales detrusas non fuisse in corpora, velut in carcerem, ut poenas fuerent delictorum, quæ antea, a corporibus scilicet solitæ, quemadmodum somniaverat Origenes, ipsæ commiserant. Si namque antiquiores non fuere corporibus, nihil gesserunt mali, propter quod meruerint, ut corporeo carceri conjungerentur. Et sane, admitti nequit hoc Origenistarum delirium, quin demus, graviora scelera haud juste a Principibus ultimo suppicio puniri. Ut enim egregie argumentatur S. Cyrillus Alexandrinus, si ante corpus existens anima peccavit, & id-

(a) Lib. de Opificio hominis cap. 29.

(d) Lib. I. qq. Tuscul. cap. 6.

(b) Genesios cap. II. v. 7.

(e) Laertius lib. VIII. in vita Pythagoræ.

(c) Epist. 61.

*idcirco innexa est carni, quam ob causam lex graviora quidem peccata morte plecti, innocentem vero vivere permittit? Praestaret quippe permettere, turpissimorum criminum reos diu in corporibus hævere, ut hoc pacto gravius punirentur; innocentes vero corporibus exsolvi, si pænæ loco, inclusæ sunt in corporibus animæ. Sed contra, morte quidem punitur homicida; justus autem corpore nihil patitur. Non est igitur, supplicii loco, inclusa corpori anima (a).*

Merito propterea Origenistarum opinio censorio stigmate confixa est ab Ecclesia, ut patet tum *ex can. 6. Concilii Bracarensis II. anno 563. contra Priscillianam hæresim celebrati* (\*); tum *ex primo anathematismo, qui ad calcem legitur tractatus Justiniani Imperatoris* (\*\*), *una cum aliis, adversus Origenis errores a V. Oecumenica Synodo approbatus* (\*\*\*)*. Quamobrem dicendum cum Concilio Lateranensi III., Deum simul ab initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam, spiritualem, & corpoream, angelicam videlicet, & mundanam; ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam (b); & ideo animas rationales non esse corporibus antiquiores. Neque enim eorum unum antiquius altero est, quæ una simul fuere productæ.*

## PROPOSITIO VI.

*Animaæ rationales non fuerunt omnes simul initio temporis a Deo creatae, iisque organicis corpusculis inclusæ, quæ, tunc itidem a Deo condita, in ovis feminis delitescent.*

130. Probatur primo auctoritate Concilii Lateranensis V. sub Leone X. celebrati. Expressæ namque in illo habetur, animam rationalem pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulare esse multiplicabilem, multiplacatam, & multiplicandam (c). Si ergo pro corporum multitudine rationalis anima multiplicanda est, animæ omnium

(a) Lib. I. in Joannem cap. 9., ubi virginitatem rationibus Origenis errorem refellit.

(b) Cap. Firmiter, de fide catholica.

(c) Ses. VIII. in Bulla Leonis X. Tom. XI. collect. Concil. Labbeanæ colum. 842.

(\*) Si quis animas humanas dicit prius in ecclæsti habitatione peccasse, & pro hoc in corpore humano in terram dejectas, sicut Priscillianus dixit, anathema sit. Tom. VI. Conciliorum edit. Venetiis 1729. apud Joannem Baptistam Albrizzi. colum. 518.

(\*\*) Si quis dicit, aut lentit, præexistente

re hominum animas, utpote quæ ante mentes fuerint, & tandem virtutes, fatigatae que cœpisse divinæ contemplationis, & in deterius conversione esse, atque idcirco refixisse a Deo charitate, & inde animas esse nuncupatas, demissaque esse in corpora, supplicii causa, anathema sit. Tom. VI. Concil. laudatae editionis colum. 354.

(\*\*\*) Si quis fabulosam animarum præxilientiam, & quæ ex illa consequitur, monstruosam restitutionem asseruerit, anathema sit. Can. I. adversus Origenem. Tom. VI. Concil. colum. 223.

nium hominum, qui ad finem usque Mundi nascituri sunt, non fuere initio temporis a Deo creatæ. Quippe, si simul jam sunt creatæ, multiplicatæ quidem sunt pro futurorum hominum numero, at non multiplicandæ: Itaque animarum præexistentia in corpusculis organicis propugnari minime posse videtur, quin Lateranensi Concilio aperte refragemur.

Probatur secundo ratione. Enimvero vel illud corpusculum organicum, sive humani corporis machinula, quæ in ovulo latet femineo, vitæ motibus prædita est, adeo nempe ut totum ex ea, & ex anima rationali conflatum, vitales motus exerceat; vel illis, instar mortui corporis, penitus est destitutum. Si hisce motibus caret, nullumque in eo habetur vitæ signum: ergo organicum illud corpusculum rationali anima præditum non est. Sicuti namque ea est lex naturæ, ut anima rationalis corpus relinquat, cum ad vitæ munera obeunda est prorsus ineptum (\*), ita videtur lex eadem postulare, ut in organico corpusculo non collocetur mens, eique a Deo non conjugatur, nisi illud sit idoneum, ut, statim ac illi juncta est anima, vitæ functiones exerceat. Si vero illa machinula, humano spiritu animata, vitaliter operatur: ergo ad hominem concipientum haudquaquam requiritur, ut ovum femineum a masculini seminis aura fœcundum fiat; sed femina optime poterit, quin viro nubat, concipere. Eorum quippe omnium sententia, qui animalia ex ovis oriri arbitrantur, fœcundatio ovi feminei, sive hominis conceptio, ex eo fit, quod subtilior vividiorque virilis genitrix portio femineum ovulum ingressa, primis fœtus staminibus, sive humani corporis machinulæ in ovo delitescenti, motum communicet, illius partes evolvat, efficiatque, ut ad eos peragendos motus, in quibus vita consistit, proxime aptæ expeditæque reddantur (a). Illa ergo machinula futuri fœtus, quæ in ovulo latet femineo, omnino torpida est, antequam ovum ipsum, & quidem jam maturum, a masculo fœcundetur: quod si torpida, anima rationalis haudquaquam in ea existit.

Confirmatur. Quia vel in omnibus feminis existunt ova animata anima rationali, vel non, sed in aliquibus tantum, nempe in iis; ex quibus homines certo sunt orituri. Si in omnibus: ergo falsum

*Phil. Ment. T. II.*

M

est,

(a) Videantur, quæ ex Cl. Valliferio de feminei ovuli fœcundatione, hominisque conceptu diximus Physicæ Tom. IV. Dissert. VI. fest. 3.

de nunquam recedit anima. Si vero dissemperata, & confusa fuerint, invita recedit anima. Auctor libri de spiritu, & anima cap. 15.

(\*) Cum corporis organa temperata, & ordinata fuerint, congruant vivificationi,

est, eorum tantum hominum, qui certo nascituri sunt, conditas animas a Deo fuisse: non enim ex singulis feminis homines, ut patet, nascuntur. Si vero non in omnibus feminis animata ova existunt, sed in iis tantum, ex quibus homines nascituri sunt, & modo nascuntur: ergo in feminis, quæ viri nesciæ vita decedunt, natura molita frustra est aut ovula, si qua habent, rationali anima destituta, aut organa, quæ ad eum finem in illis elaborata dicuntur, ut gignendorum foetuum ovula complectantur, humanique generis propagationi inserviant.

Hac demum opinione posita, non posset singulis feminis virginitas impune suaderi; minusque recte egisset tum Christus Dominus commendando virginitatem (a), tum Apostolus optando, ut omnes, nullo personarum discrimine positio, cœlibatum, quemadmodum ipse fecerat, perpetuo custodirent (b). Suaderi porro indiscriminatim omnibus feminis tunc non posset virginitas; quippe, cum non constet, quæ feminæ animatis ovulis præditæ sint, quæ vero illis careant, nequit virginitas singulis feminis suaderi, quin verum sit, optionem in nobis esse, ut tot pereant animæ, quot animata ovula illæ complectuntur. Eandem quoque ob causam nulli feminæ licet, se perpetuo virginitatis voto obstringere, eamque Deo, quoad vixerit, devovere, nisi certo ei primo constiterit, ovula animata suo in sinu ab se minime contineri.

Prætereo, feminas omnes, hac admissa hypothesi, eo niti debe-re, ut plures, quoad posset fieri, partus emittant, ne qua scilicet anima, earum causa, pereat; ac propterea polygamiam viris prohiberi sine piaculo ab humana potestate non posse. Hæc igitur cum non minus falsa, quam absurdissima sint, relinquitur Volfianam opinionem de animarum in ovulis præexistentia dignam esse censorio stygmate, penitusque a Viro catholico rejiciendam.

*Opponitur*, Deum quievisse die septimo ab omni opere, quod patrat (c), hoc est a rebus creandis tunc ita cessasse, ut nullam aliam deinceps fecerit, neque ad finem usque mundi fit ipse facturus.

Sed contra: quia locus ille *Genesios* ita intelligendus est, ut sit sensus, Deum quievisse a novis condendis speciebus creaturarum, non autem ab iis creandis substantiis, quibus necessario est opus, ut alicujus tunc ab eo conditæ speciei propagatio perficiatur. Cum autem rationalem animam creat, non fit aliqua species nova, quam antea Deus ipse

(a) Matth. 19. v. 13.

(b) Epist. I. ad Corinth. cap. 7. v. 7.

(c) *Genesios* cap. II, v. 2.

ipse non fecerat, sed efficitur tantum, ut, quam ad sui imaginem considerat speciem, prorsus non extinguitur, & pereat, sed propagatione perseveret. Hinc auctor libri de spiritu & anima cap. 41., quales, inquit, in exordio die sexto masculo, & femine dedit (animas), tales quotidie inspirat singulis, nova de nihilo creatione, non nova institutione. Pater, inquit, meus usquemodo operatur, & ego operor. Operatur usquemodo Pater, & Filius operatione squidem nova, sed institutione non nova, pro illa agens, cum ista quiescens. Res vero corporæ post primam sui creationem novæ nullæ creantur, sed simul in exordio conditæ, temporali formatione propagantur. Anima autem non simul essentialiter factæ sunt, sed pro natura consimili, qua ad imaginem, & similitudinem Dei sunt, & simul factæ reputantur, & non simul editæ judicantur: non simul editæ pro essentia, sed simul factæ pro comparati forma ad imaginem, & similitudinem Dei prærogata.

Ne quis autem dicat, auctorem hujus libri, quicumque ille fuerit, hominem quidem esse variæ multæque lectionis, quemadmodum probe de illo judicavit Erasmus, sed non tantæ auctoritatis, ut ejus dicta digna plane sint, quæ in honore habeantur: sciat is velim, non aliter hac ipsa super re opinatum fuisse S. Augustinum, quinimo totam hanc doctrinam ex tanto Doctore fuisse desumptam. Expressè namque fatetur S. Doctor, locum illum Geneseos de Divina quiete a rebus creandis ita posse intelligi, ut sit sententia, Deum requievisce a condendis generibus creaturæ; quia ultra jam non condidit aliqua genera nova (a). Sed id apertius docuit scribens ad S. Hieronymum. Cum enim is optaret, ut sibi palam ab Augustino fieret, quomodo adversus Pelagianorum dogma defendi posset, singulas animas singulis nascentibus etiam modo a Deo creari, quod ipse Hieronymus in epistola ad Marcellinum, & Anapsychiam, insinuaverat (b), ostendit S. Augustinus, non satis quidem evinci ex illo Evangelii loco: *Pater meus usque modo operatur, animas quotidie a Deo fieri, & in corpora mitti; at simul probat, neque ex eo, quod Deus die septimo quievisse dicatur, id esse falsum, satis evidenter demonstrari.* His, inquit, qui hæc (quievisse scilicet Deum die septimo), ideo dicunt, ne credatur modo Deus, sicut illam unam, novas animas, quæ non erant, facere, sed ex illa una, quæ jam erat, eas creare vel ex fonte aliquo, sive thesauro quodam, quem tunc fecit, eas mittere, facile respondetur, etiam illis sex diebus multa Deum creasse ex his naturis, quas jam creaverat, sicut ex aquis, aliis, & pisces; ex terra autem arbores,

M 2

fa-

(a) Lib. IV. *super Genesim ad literam*  
num. 12. alias cap. 12.

(b) Epist. inter Augustinianus CLXV.  
num. 1., alias XXVII. cap. 1.

fænum, animalia: sed quod ea, quæ non erant, tunc fecerit, manifestum est. Nulla enim erat avis, nullus pisces, nulla arbor, nullum animal; & bene intelligitur, ab his creatis requieuisse, quæ non erant, & creata sunt, id est, cessasse, ne ultra, quæ non erant, crearentur. Sed nunc quod dicitur, animas non in nescio quo fonte jam existentes mittere, nec de seipso tamquam suas particulas inorare, nec de illa una originaliter trahere, nec pro delictis ante carnem commissis, carneis vinculis compedire, sed novas creare singulas singulis, unam cuique nascenti, non aliquid facere dicitur, quod ante non fecerat. Jam enim sexto die fecerat hominem ad imaginem suam, quod utique secundum animam intelligitur. Hoc & nunc facit, non instituendo, quod non erat, sed multiplicando, quod erat. Unde & illud verum est, quod a rebus, quæ non erant, instituendis requievit. Et hoc verum est, quod non solum gubernando, quæ fecit, verum etiam aliquid, non quod nondum, sed quod jam creaverat, numerosius creando, usque nunc operatur. Vel sic ergo, vel alio modo quolibet eximus ab eo, quod nobis objicitur de requie Dei ab operibus ejus, ne propterea non credamus, nunc usque fieri animas novas, non ex illa una, sed sicut illam unam (a).

Ceterum non ita quievisse Deum die septimo a rebus creandis, ut nullam plane substantiam deinceps per creationem effecerit, ex ineffabili incarnationis mysterio aperte, mea quidem sententia, luculentisque ostenditur. Certum namque est, Christi animam tunc solum fuisse a Deo creatam, cum Divini Verbi peracta fuit incarnatione. Ex quo esse homo caput, inquit S. Augustinus, non aliud caput esse homo, quam Dei filius (b); utque habet Theodoreetus, ne punctum quidem temporis interjectum fuit inter assumptionem carnis, & unionem; & assumpta natura non fuit ante assumptionem & unionem (c); unde S. Fulgentius firmissime tenendum ait, & nullatenus dubitandum, carnem Christi non sine Divinitate conceptam in utero Virginis, priusquam susciperetur a Verbo, sed ipsum Verbum Deum sua carnis acceptione conceptum, ipsamque carnem Verbi incarnatione conceptam (d). Certum est autem, adimpletum fuisse Incarnationis mysterium, cum Angelo nuntianti respondit Virgo: ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum (e). Ergo tunc solum, non autem initio temporis, creata a Deo fuit anima Christi.

Fateor euidem, Divini Verbi incarnationem esse miraculum. At simul contendeo, argumenti vim non propterea infringi. Nihil quippe,

(a) Epist. CLXVI. n. 12. alias XXVIII. (d) Lib. de Fide ad Petrum cap. XVII. cap. 5. num. 61.

(b) In Enchirid. n. 11. alias cap. 36.

(c) Dialog. II.

(e) Lucæ cap. I. v. 38.

pe, né quidem per miraculum, creare debet Deus, ut stet, quod ajunt, ipsum scilicet a rebus condendis die septimo penitus quievisse. Quiet enim non minus ea opponitur actio, quæ supra leges naturæ est, quam ea, quæ ejusdem legibus plane respondet. Sicut ergo quies illa non prohibet, quominus anima Christi tunc solum creata fuerit, cum Divinum Verbum humanam sibi copulavit naturam; ita ea ipsa jure impedire non potest, quominus singulas animas singulis nascentibus etiam modo Deus faciat (a). Primum postulavit humani generis reparatio, non prius facienda, quam temporis plenitudo venisset (b). Hoc alterum generis ejusdem propagatio requirit, non prius finienda, quam electorum numerus compleatur.

## ANIMADVERSIO I.

131. Haud recte dixit Cl. Volfius, se non videre, quid inde sequatur, quod vel naturali, vel revelata religioni, vel virtuti sit adversum, si in prima statim rerum creatione animas a Deo ex nihilo producas affirmes una cum flaminibus fatus (c). Videre quippe debuisset, eo quo pollet ingenii acumine, animarum præexistentiam neque cum Incarnationis mysterio, neque cum doctrina de virginitate servanda satis posse componi. Ne ipsam quidem Christi animam excipi in hac lege, argumento est ipsius Viri Cl. de ipsa anima altum silentium. Nec enim res est exigui adeo momenti, ut omitti a tanto Viro sine culpa potuerit. Hunc itaque lapidem forte non movit Vir Cl., quia & ipse vidit, excipi non posse animam Christi, quin falsum sit, quod pro certo habet, ita scilicet quievisse Deum die septimo, ut ab eo die nihil amplius creaverit, neque ad finem usque Mundi sit creaturus; fore vero, ut de ineffabili Incarnationis mysterio pessime sentire cogeretur, si ex adverso etiam Christi animam initio temporis, una cum ceteris, creatam a Deo fuisse, aperte diceret. Tutius ergo sibi fore arbitratus est Vir doctissimus, hac super re dormitare.

## ANIMADVERSIO II.

132. Audiendus quoque non est, cum ait: Jam vero Deus die septimo a creando cessasse legitur; unde Theologi recte colligunt, quod bodie nihil amplius creet, seu ex nihilo producat. Scriptura igitur con-

Phil. Ment. T. II.

M 3

venit.

(a) S. Hieronymus apud S. Augustinum Epist. CLVI. num. 8., alias XXVIII. cap. 4.

(b) Ad Galatas cap. 4 v. 4.

(c) Physiol. ration. §. 705.

*venit creatio animarum in prima statim creatione a Deo facta (a).* Falsum est enim, Theologos colligere ex illo loco Geneseos, animam rationalem modo a Deo non creari, nisi forte Cl. Auctor vel de iis Theologis loquatur, qui cum Leibnitio præexistentiam animarum, ut ipse facit, defendunt; vel de antiquioribus illis intelligat, qui aut animas corporibus præexistere opinati sunt, aut eas ex parentibus in filios per traducem propagari arbitrabantur: quorum certe Theologorum auctoritate in pensi non facimus. Constat, eorum Theologorum sententia, qui Concilio Lateranensi V. interfuerunt, animam rationalem pro hominum numero multiplicatam esse, multiplicabilem, & multiplicandam. Constat quoque, laudatum Genesos locum minime impedire, S. Augustini judicio, quominus dicamus, *nunc usque fieri animas novas, non ex illa una, sed sicut illam unam;* ac proinde hypothesim de præexistentia animarum in corpusculis organicis non ita esse S. Scripturæ consentaneam, ut eam sine piaculo oppugnare, imo & detestari non liceat.

### A N I M A D V E R S I O III.

133. Contendere itidem nequit, animas rationales præexistere in suis corpusculis organicis, quin peccet aperte contra *principium rationis sufficientis*, quod tanti facit, tamque magnifice ipse commendat. Nulla enim hujusc præexistentiæ occurrit sufficiens ratio, sive Divina spectetur auctoritas, si ad eas, quæ in Mundo fiunt, mutationes animum attendamus. Nulla est, si Divina spectetur auctoritas; quippe, ut ex S. Augustino demonstravimus, nihil prorsus, quod faveat Volfianæ hypothesi, ex eo evincitur, quod Deus die septimo ab omni opere quievisse legatur. Neque enim aliis habetur S. Scripturæ locus, quo ostendat Volfius, nihil deinceps per creationem a Deo factum fuisse, aut esse faciendum. Nulla vero est ratio sufficiens, si natura ipsa consulatur. Enimvero, si qua ex hoc capite sufficiens ratio desumi posset, ea esset dubio procul, quia ipsem et Vir Cl. se putat ostendere, *Deum hodie nihil amplius creare, nec creaturum quicquam, quamdiu hic mundus adspectabilis existet (b).* Hæc autem non evincit, nullam spiritualem substantiam modo a Deo creari, sed tantum nihil sensibile novum contingere in Mundo, quod per actionem, qua sit vera creatio, producatur. Ita siquidem argumentatur Vir Cl.: *series successivorum, qua ingreditur hunc Mundum adspexit.*

(a) *Physiol. rational. not. ad §. 705.*

(b) *Theol. naturalis P. I. §. 834.*

*Spectabilem* (§. 55. Cosmol.), non continet, nisi corpora, quorum unum interit, alterum oritur, & modificationes ejusdem corporis per aliquod temporis intervallum durantis: id quod experientia constat. *Enimvero* in ortu corporum nullum elementum oritur (§. 832.), consequenter substantia nulla simplex (§. 182. Cosmol.) adeoque nihil ex nihilo producitur (§. 691. Ontol.). *Quamobrem* patet, in corporum ortu nihil creari (§. 697. Psychol. rat.). *Quod* in interitu corporum nihil creetur novi, per se patet. Modificationes vero corporum existentium, & per aliquod temporis intervallum durantium non sunt nisi variationes limitationum (§. 830. Ontol.), neque ideo quicquam in iisdem ex nihilo producitur (§. 833. Ontol.), consequenter nihil in iisdem creatur (§. 697. Psychol. rat.). *Quamobrem* hodie nihil amplius creatur. Competit vero potentia creatrix soli Deo (§. 767.). *Quamobrem* patet, *Deum* hodie nihil amplius creare.

*Enimvero*, quæ hodie datur ratio, cur Deus nihil amplius creet, eadem subsistit, quamdiu Mundus hic aspectabilis subsistet, & quod futurum est tempus, erit aliquando, perinde ac hoc præsens. *Quamobrem*, cum posita ratione sufficiente, cur quid sit potius, quam non sit, ponatur etiam id, quod propter eam potius est, quam non est (§. 118. Ontol.): quamdiu Mundus hic adspectabilis existet, ponetur non creatio rerum, aut, si mavis, cessatio creationis. Deus itaque nihil creabit, quamdiu hic Mundus aspectabilis existit.

Idem etiam probari potest hoc modo. Totus Mundus hic adspectabilis ens unum est (§. 60. Cosmol.), cui adeo nihil demi potest, salva ejus essentia: id quod etiam ex immutabilitate essentia claret (§. 300. Ontol.). Jam essentia Mundi, & natura sunt medium, quibus finem per ejus creationem intentum consequitur Deus (§. 645.). *Quamobrem* cum per Mundi hujus adspectabilis existentiam finem a se intentum ex ase consequatur (§. 621.), non opus habet, ut nova creatione in hanc seriem rerum quicquam intrudat, & alia in eadem existentia annihilet, consequenter Mundi partem secundum diversam efficiat ab ea, quæ respondet Mondo a se creato. *Quamobrem* cum Deus sit sapientissimus (640.) sapiens vero contra finem, quem intendit, nihil agit (§. 678. Psychol. rat.); ideo patet, *Deum* hodie nihil amplius creare, nec quicquam in posterum creaturum, quamdiu hic Mundus adspectabilis existit (a). Hactenus Volfius. Ideo ergo, Volfium si audiamus, nihil amplius creat Deus, quia quidquid novi in hoc Mundo contingit, nihil est ab existentium corporum modificationibus diversum. Itaque aut dicat oportet Cl. Author, nullam in homine esse substantiam, nisi corpoream, ejusque

M 4

ani-

(a) *Theol. naturalis* P. I. §. 834.

animam a modificationibus materiae haudquam differre, & ideo sibimet adversari; quippe qui docet, animam humanam differre prorsus a corpore (a), eamque esse spiritum (b), & materialismum esse falsam hypothesim (c); aut fateatur & ipse necesse est, non satis hac ratione evinci, rationales animas quotidie a Deo non creari. Verum quidem est, omnes corporeas mutationes, quæ sensibus patent, ex eo unice provenire, quod mutetur artificiosa molecularum primo componentium dispositio. At cum hæc sola non sufficiat, ut generetur homo, non omnis mutatio, quæ in Mundo fit, in sola variatione limitationum, seu mechanicarum affectionum recte statuitur. In ortu eorum, quæ pure corporea sunt, nullum quidem elementum oritur nulla substantia simplex, nihilque ex nihilo vere proprieque dicitur. Verum in ortu illius compositi, quod ex spirituali, & corporea substantia constat, res non ita omnino se habet. Formatur corpus organicum, quin nova fiat substantia simplex. Anima vero a Deo creatur; quippe quæ non est variatio limitationum, sed substantia, & quidem ordinis sublimioris, quam sit corpus, præstantiorisque naturæ. Neque propterea hinc sequitur, Mundum definere esse *unum ens*, eique addi aliquid, cum generatur homo, vel demi, cum ille moritur. Nulla siquidem Mundo tunc additur entium species, nullaque eorundem specie tunc Mundus privatur. Ut enim egregie dixerat S. Augustinus superiori loco laudatus, Deus, cum animam creat, & facit hominem, non aliquam instituit speciem, quæ non erat, sed multiplicat, quæ erat; efficitque idcirco, ut idem perduret Mundus, quem initio condiderat, licet ex corruptilibus componatur. Damus igitur Viro Cl., satis ab eo probari, nihil plane, quod sit pure corporeum, hodie in Mundo ex nihilo fieri; ac proinde nihil hujuscemodi a Deo per creationem modo produci. Sed aperte negamus, hinc evinci, rationales animas nunc a Deo haudquam creari. Peccat argumentum eo fallaciæ genere, quod a dicto secundum quid ad simpliciter vocari a Logicis solet; nisi forte, secus ac alibi docet, sentiat hoc loco Vir Cl., humanam mentem esse corpus, vel ab corporis modificationibus nulla ipsam ratione discerni. Absit tamen verbo invidia. Expendatur ferio, quod principii loco in hoc argumento ille assumit, videlicet seriem successorum, quæ ingreditur hunc Mundum adspectabilem, non continere nisi corpora, quorum unum interit, alterum oritur, & modifications ejusdem corporis per aliquod temporis intervallum durantis. Profecto non

(a) *Psychol. ration.* §. 51.  
(b) Ibidem §. 645.

(c) Ibidem §. 50.

non video, quomodo, si anima rationalis non ponatur corpus, vel corporis modificatio, verum sit, *in serie successorum, que adspectabilem Mundum ingreditur, nonnisi corpora, corporisque modificationes, contineri*. Fateor vero, me non intelligere, quomodo, si loquatur tantum de successivis sensibilibus, & quidem prout sunt sensibilia, id assumi queat principii loco ad ostendendum, *nihil amplius hodie a Deo creari: nihil, inquam, quin ulla prorsus fiat substantiae exceptio*. Quod si fuerit illius mens, spiritualem substantiam hoc loco excipere, æquo ferat animo Vir eximius, si dixerim, id minime cum iis posse componi, quæ ipsem alibi tradit: Ita enim loquitur Ceterum quod hic supponimus, si animæ prodeunt per creationem, eas *in prima statim rerum origine creatas esse, & de corpusculis quoque stamina fatus continentibus sumimus, ex principiis Theologiae naturalis tanto tutius supponi potest, quanto certius est, creationem animalium admittere non posse, vi assensu quem rationibus extorquemus, nisi eum, qui principia Theologiae naturalis perspecta habet*. Ibidem vero ostendemus GENERALITER, quæ a Deo creata sunt, ea in prima rerum creatione fuisse producta: quæ & communis Theologorum, Scripturæ Sacrae conformis, sententia est (a).

## ANIMA D V E R S I O IV.

134. Dignum postremo consideratione est, quod de anima rationali in corpusculo organico præexistente docet idem Cl. Auctor, eam scilicet tunc esse *in statu perceptionum confusarum* (b). Hinc enim, nisi mea fallat opinio, futurum necessario videtur, ut in organico ipso corpusculo aliqui ex iis peragantur motus, quibus, vi unionis mentis cum corpore, perceptiones nostræ respondent. Id certe & ipse Vir Cl. aperte docet, cum ait, *animam in statu præexistentia sibi representare hoc universum convenienter mutationibus, quæ in animalculo spermatico, vel in corpusculo organico, stamina fatus continent, contingunt* (c); utque antea docuit, de sensu sermonem habens, *ratio perceptionum rerum materialium in mutationibus, qua in corpore isto contingunt, continetur, adeoque perceptiones rerum materialium in mundo adspectabili a mutationibus in corpore isto contingentibus dependent* (d). Si ergo in organico corpusculo, quod in ovo femineo delitescit, tales mutationes fiunt, quibus confusa rerum perceptio, siue sensatio, atque imaginatio in anima illi copulata respondet, nihil

(a) *Psychol. rationalis not.* §. 704.(b) *Ibidem* §. 705.(c) *Ibidem* §. 715.(d) *Psychol. empirica* §. 97.

hil ipsi deest, quominus vivens dici jure ac merito possit. Neque enim sensitivæ imaginationis capax est, quod non vivit. Igitur, hæc si detur hypothesis, non est opus conjunctione maris & feminæ, ut humanum genus propagetur. Poterit quippe femina, quin viro nubat, concipere; cum organicum gignendi fœtus corpusculum habeat hoc ipso ex se totum id, quod a masculini seminis aura recipere dicitur, nempe motum, atque vitam, ut superiori loco innuimus. Adeo, concipi non posse, quomodo per tot sæcula, quot ab Orbe condito usque in præsens fluxerunt, peragi potuerint motus in corpusculo hominis modo geniti, quin ipsius corpusculi partes cum solidæ, tum fluidæ, motibus illis peragendis inservientes, aliquid vel minimum passæ unquam sint, nutritione reparandum. Quod si ponatur, nutritionem in illo corpusculo fieri, quæro, undenam illi adveniat materia ad nutritionem requisita; & cur, si fiat nutritio, accretio quoque non habeatur? Prætereo, nutritionem in illo corpusculo absoluvi non posse, quin perfecte vivat, atque hinc quin ad hominem concipiendum frustranea omnino sit masculini seminis actio. Optarem postremo, ut ostenderet Vir Cl., quid anima, quamdiu una cum corpusculo organico, cui copulata est, latet in ovo femineo, confuse percipiat. Videtur quippe, nullam prorsus rerum earum, quæ adspectabilem Mundum constituunt, percipi ne confuse quidem ab ea tunc posse. Nulla siquidem est, quæ aliquam vel minimam mutationem valeat in illo corpusculo excitare; ac proinde rationem ponere, cur mens ipsi corpusculo copulata unam potius rem, quam aliam percipiat, si verum est, quod ipse docet, *per mutationes scilicet, quæ in corpore nostro accident, nos intelligere, cur res materiales in mundo adspectabili percipiamus, & cur tales potius percipiamus, quam alias (a); & animam nostram in statu præexistente sibi representare hoc universum convenienter mutationibus, quæ corpusculo illi organico accident, in quo præexistit (b).* Nullam porro rerum earum, quæ adspectabilem Mundum constituunt, posse mutationem aliquam in corpusculo organico, quamdiu in ovo existit femineo, excitare, adeo perspicuum puto, ut a nemine prorsus verti in dubium possit. Res enim ipsæ non ita præsentes sunt illi corpusculo, quamdiu in ovo, atque hinc in utero feminæ, latet, ut nihil impedit, quominus motum illi communicare optime queant. Si quis autem contendat, motiones fieri in illo corpusculo, quin ipsius partes a rebus Mundum constituentibus impetum recipient, eo videtur Vir Cl. nef-

(a) *Psychol. empirica* §. 57.

(b) *Psychol. rationalis* §. 715.

cessario cogi, ut dicat, aliquid in rerum natura re ipsa contingere; quin, cur contingat potius, quam non contingat, sufficiens ratio habetur.

## S C H O L I O N.

135. Præexistentiæ animarum in animalculis spermaticis nullam hic mentionem facimus. Ut enim omittam, iisdem ferme rationibus illam everti, quibus modo ostensum est, animas ipsas in corpusculis organicis, quæ in ovo femineo latere dicuntur, minime continxri, hoc tantum discrimine, ut, quod de feminis hac in hypothesi dicitur, de viris in illa intelligatur, spermaticorum animalculorum opinio adeo turpis est, ut in impugnanda animarum in illis animalculis præexistentia, piaculum ducam vel minimum immorari (a).

## P R O P O S I T I O VII.

*Anima rationalis tunc solum a Deo creatur, & organico gignendi fetus corpusculo infunditur, cum ea in ipso habetur partium evolutio, sive organizatio, quæ ad vitæ munera obeunda immediate sufficiat.*

136. *Probatur.* Certum est, animam rationalem non propagari per traducem ex patre in filium (§. 124.), sed a Deo creari (§. 128.). Certum est etiam, animas omnium hominum, qui ad finem usque Mundi nascituri sunt, neque extitisse ante corpora (§. 129.), neque initio temporis simul omnes creatas a Deo fuisse, iisque singulas copulatas corpusculis, quæ in ovis femineis tunc itidem elaboratis, lateræ dicuntur (§. 130.). Ergo tunc solum a Deo creatur anima rationalis, & corpori infunditur, cum vel ea in ipso corpore habetur organizatio, vel ea in præexistente corpusculo facta est partium evolutio, quæ requiritur, ut compositum inde factum vitæ functiones exerceat.

*Confirmatur.* Quia, ut diximus superiori loco, anima recedit a corpore, cum corpus idoneum amplius non est ad vitales motus peragendos. Ergo tunc solum corpori anima ipsa infunditur, atque hinc a Deo creatur, cum ipsum corpus est ad vitæ munera obeunda proxime aptum.

Quamvis porro huic sententiæ aperte non subscripserit S. Augustinus, quemadmodum neque eam palam rejicit, quæ ponit, animam

(a) Tom. IV. Physicæ Dissert. VI. Sect. II. prop. 3.

mam ipsam ex patre in filios per traducem propagari, videtur tamē S. Doctor ab hac ipsa, quam modo tradidimus, opinione nullatenus abhoruisse. Scribens quippe ad Renatum Monachum contra duos libros, quos de anima origine Vincentius quidam Victor conscriperat, ita hac super re mentem suam expressit: *animarum novarum sine propagine insufflationem defendi quidem minime prohibemus, sed ab eis, qui potuerint aliquid invenire, vel in canonicis libris, quod non sit ambiguum dissolvendae huic obligatissimae questioni; vel in ratiocinationibus suis, quod non sit contrarium catholicæ veritati: non a talibus, qualis iste apparuit, qui non inveniendo, quid diceret, & deliberationem suam nolendo suspendere, vires suas omnino non metiens, ne taceret, ausus est dicere: inquinari animam meruisse per carnem, & esse meruisse animam peccatricem, cuius nullum meritum seu bonum, seu malum, aternam potuit invenire.* Et parvulis sine baptismo de corpore exterritus solvi posse originale peccatum, & offerendum pro eis sacrificium corporis Christi, qui Christo non sunt incorporati per ejus sacramenta in ejus ecclesia: eosque sine lavacro regenerationis de hac vita emigrantes, non ad requiem tantum ire, sed ad regnum cœlorum posse etiam pervenire. *Et alia multa absurdæ, quæ omnia colligere, atque in isto libro digerere, longum risum est. Abst ergo, ut animarum propagio, si falsa est, a talibus refellatur; & animarum novarum insufflatio, si vera est, a talibus defendatur.* Quamobrem quicumque volunt defendere, quod dicuntur animæ nova nascentibus insufflari, non de parentibus trahi, aliquod illorum quatuor, quæ supra commemoravi, caueant omni modo: *hoc est, ne dicant a Deo fieri animas peccatrices per alienum originale peccatum: ne dicant, parvulos, qui sine baptismo exierint, pervenire posse ad vitam æternam, regnumque cœlorum, originali peccato per quodlibet aliud resoluto: ne dicant, animas peccasse alicubi ante carnem, & hoc merito in carnem peccatricem fuisse detrusas: ne dicant, peccata, quæ in eis inventa non sunt, quia præscita sunt, merito fuisse punita, cum ad eam vitam, ubi ea committerent, permisæ non fuerint pervenire.* Nihil erga istorum quatuor dicentes, quoniam quodlibet eorum falsum atque impium est, inveniant etiam Scripturarum de hac re certissima testimonia, & hanc sententiam suam, non solum me non vetante, verum etiam favente, & gratias agente, defendant. Si autem non inveniunt certissimam de hac re auctoritatem divinorum eloquiorum, & aliquid illorum quatuor per inopiam dicere compelluntur, cohibeant se, ne per ipsam inopiam etiam parvolorum animas non habere originale peccatum, secundum Pelagianam heresim olim damnabilem, nuperrimeque damnatam, dicere.

com:

compellantur. Melius est enim homini fateri se nescire, quod nescit, quam in heresim vel damnatam incurvare, vel novam condere, dum temere audet defensare, quod nescit (a).

## DISSERTATIO II.

De mutuo commercio inter mentem humanam,  
& corpus.

**Q**uoniam, ut egregie observat S. Augustinus, & satis patet ex dictis, error opinantium, hominis animum esse corporeum, ex eo potissimum oriatur, quod adjungant ea, sine quibus nullam possunt cogitare naturam (b), hoc est, corporum imaginibus, quae formantur in cerebro, tanto se amore conjungat mens, ut etiam se esse aliquid hujusmodi existimet (c); ideo suscepti munera ratio postulare optimo jure videtur, ut de commercio, quod inter mentem ipsam, atque corpus est, hoc loco agamus. Hinc quippe clarius patet, quam superiori Dissertatione demonstravimus, spiritualis humanae mentis natura; constabitque apertius, quam immerito arbitrati nonnulli olim sint, & fortasse etiam modo aliqui putent, ejusdem mentis materialismum hinc satis evinci. Moneo tamen cum laudato S. Doctore, hac potissimum in re non erubescendum esse homini confiteri, se nescire, quod nescit, ne, dum se scire mentitur, nunquam scire mereatur (d). Etenim, eodem teste, ubi res naturaliter obscura, nostrum modulum vincit, & aperta divina Scriptura non subvenit, temere hinc aliquid definire humana conjectura presumit (e). Itaque

### SECTIO PRIMA.

Exponitur commercium inter humanam mentem, & corpus.

137. **Q**uam abstrusa sit unio humanæ mentis cum corpore, ejusque investigatio quantum vires nostras excedat, non est cur longo sermone ostendam. Id enim magis videtur per spicuum, quam ut verbis exprimi possit. Mihi quidem naturam animi intuenti, inquit Tullius, multo difficilior occurrit cogitatio, multo-

que

(a) Lib. I. de anima, & ejus origine num. 33., & 34., alias cap. 19.  
(b) Lib. X. de Trinitate n. 9., alias c. 7.

(c) Ibidem num. 8. alias cap. 6.  
(d) Epist. CXC. n. 16., alias CLVII. c. 5.  
(e) Ibidem.

que obscurior, qualis animus in corpore sit, tamquam aliena domui, quam qualis, cum exierit, & in liberum cœlum, quasi domum suam, venerit (a); utque habet S. Augustinus, modus, quo corporibus adhaerent spiritus, & animalia sunt, omnino mirus est, nec comprehendendi ab homine potest (b). Et sane, sive in capite, ait Lactantius, mens habitet, sive in pectore, potestne aliquis comprehendere, quæ vis rationis efficiat, ut sensus ille incomprehensibilis aut in medulla cerebri hæreat, aut in illo sanguine bipartito, qui est inclusus in corde; ac non ex eo ipso colligat, quanta sit Dei potestas, quod animus seipsum non videt, aut qualis, aut ubi sit; nec si videat, tamen perspicere possit, quo pacto rei corporali res incorporalis adjuncta est? Sive etiam mentis locus nullus sit, sed per totum corpus sparsa discurrat (quod & etiam fieri potest, & a Xenocrate Platonis discipulo disputatum est; siquidem sensus in qualibet parte corporis presto est) nec quid sit mens, nec qualis intelligi potest; cum sit natura ejus tan subtilis ac tenuis, ut solidis visceribus infusa, vivo, & quasi ardentissimu sensu, membris omnibus misceatur (c). Misso itaque modo, quo mens corpori est copulata, commercium dumtaxat, quod, ratione ineffabilis illius unionis, inter utramque hanc adeo dissimilem substantiam habetur, exponemus in præsens, & quoad fieri a nobis potest, clarius demonstrabitur. Ut autem a nominis definitio, quemadmodum recta methodus postulat, exordiamur.

## DEFINITIO.

138. *Commercium mentis cum corpore dicitur mirabilis ille consensus, quem habent certæ operationes mentis cum certis quibusdam motibus corporis, & vicissim certi motus corporis cum certis affectionibus mentis, ratione cuius modo mens corporis, modo corpus mentis veluti interpres existit. Quod animæ sequuntur corpora, inquit Aristoteles, & ipsa secundum seiphas non sunt impassibles a motibus corporis, id manifestum fit valde in ebrietatibus, & agritudinibus; multum namque animæ mutatae videntur a passionibus corporis. Et e contrario, quod corpus compatitur passionibus anime, manifestum est circa amores, & timores, & dolores, & voluptates. Amplius autem & in iis, quæ natura sunt, magis utique aliquis conspicet, quod corpus, & anima ita se habent connaturalia, ut sint causæ plurimarum*

(a) Lib. I. qq. *Tuscul.* cap. 22.(b) Lib. XXI. *de Civitate Dei* cap. 10.(c) Lib. *de Opificio Dei* cap. 16.

*rum passionum ad invicem* (a). Duæ porro sunt leges præcipuae, quibus mutuum hoc mentis cum corpore commercium continetur.

## LEX PRIMA

*mutui commercii inter mentem humanam; & corpus.*

139. Si res extra nos posita eas corporis nostri partes, quas sensuum organa dicimus, ita afficiant, ut certa in illis motio fiat, eaque ad cerebrum usque propagetur, rerum earundem statim in anima notio excitatur. Constat enim, neque affici tactum a calore, neque visum posse a luce, coloreque immutari, quin mens calorem, colorem, atque lucem percipiat, seu quin ea in anima excitetur affectio, quam lucis, coloris, calorisque sensationem, sive notionem, sive ideam, appellamus.

## COROLLARIUM.

140. Ea igitur inter mentem & corpus datur harmonia, eaque lex, isque consensus, ut, positis certis quibusdam motibus in corpore, certæ rerum notiones in anima habeantur.

## ANIMADVERSIO I.

141. Sensibilium rerum notiones, quæ excitantur in anima, ita iis motibus alligatae sunt, qui a rebus ipsis fiunt in corpore, ut eodem ferme temporis momento, quo in corpore motus illi peraguntur, notiones ipsæ in mente excitentur. Manifestum est enim, ne minimam quidem temporis morulam discerni a nobis posse inter mutationem factam in tactus organo a calore, & sensationem, seu notionem caloris, quæ in anima mutationem ipsam consequitur.

## ANIMADVERSIO II.

142. Impedire minime possumus, ne, sufficienter immutato corporis organo a re extra nos posita, notio ipsius rei in mente, nisi alio tunc vehementer distracta sit, excitetur. Neque enim potest fieri, ut hominem non percipiamus, cum sanos recteque valentes oculos in hominem ipsi convertimus.

ANI-

(a) *Physiognom.* cap. I.

## ANIMADVERSIO III.

143. Ea insuper legē, rerum sensibilium notiones, quæ excitantur in mente, iis motibus respondent, quæ ab ipsis rebus in corpore fiunt, ut clariores, obscurioresve illæ sint, prout magis minusve perfecti sunt ipsis motus. Constat enim, clariorem hominis notionem fieri in mente, vividioremque sensum, quo homo ipse coram nobis existens lumine validiori perfunditur, atque adeo quo fortius visionis organum movet; contra vero notionem illam in nobis perfici obscurarem, quo lumen debilius est, leviusque propterea reticularis oculi membrana ab eo impellitur.

## ANIMADVERSIO IV.

144. Eo demum ordine, quo rerum sensibilium vestigia, ex ordinorum sensoriorum immutatione primum in cerebro facta, tum in illo relicta, iterum in ipso excitantur, earundem quoque rerum ideæ iterum in mente emergunt. Perturbate nimis, & tumultuarie, ut in ebriis, stultisque, ac delirantibus, excitantur in anima notiones rerum, si sine ordine & cum tumultu, motus, quibus illæ respondent, in cerebro iterum fiant; contra vero recto ordine, constantique lege, si cum lege atque ordine, ut in iis accidit, qui sui plane compotes sunt, motus illi in cerebro exsuscitantur iterum, ac perficiantur.

## LEX SECUNDA

*mutuū commercii inter mentem humanam, & corpus:*

145. Mens nostra ita corpori, cui ineffabiliter copulata est, dominatur, ut si quedam ipsius corporis partes moveantur, ad illius nuscum tamdiu perseverent in motu, quamdiu ipsa vult; atque a motu cessent, quamprimum eidem placet. Nemo certe est, qui hoc mirabile phænomenon, & si quid aliud nostra consideratione dignissimum, in semetipso, quandocunque voluerit, non experiatur. Manus, & pedes (ita rem hanc expressit S. Augustinus) movemus, cum volumus, ad ea, quæ his membris agenda sunt, sine ullo renisu, tanta facilitate, quanta & in nobis, & in aliis videmus, maxime in artificibus quorūcunque operum corporalium, ubi ad exercendam

*infirmorem, tardiorumque naturam agilior accessit industria (a).* Neque ea sola membra movemus ad nutum, qua compactis articulatis sunt ossibus, sicut pedes, & manus, & digitos; verum etiam illa, quæ mollibus remissa sunt nervis, cum volumus, movemus agitando, & porrigoendo producimus, & torquendo flectimus, & constringendo duramus sicut ea sunt, quæ in ore, ac facie, quantum potest, voluntas movet. Pulmones denique ipsi omnium, nisi medullarum, molissimi viscerum, & ob hoc antro pectoris communiti, ad spiritum ducendum, ac remittendum, vocemque emittebant, seu modificandam, sicut folles fabrorum, vel organorum, flantis, respirantis, loquentis, clamantis, cantantis, serviunt voluntati (b). Unde, quemadmodum ille idem observat S. Doctor, tantum habet virium anima in corpus suum, & tantum vales ad indumenti qualitatem vertendam, atque mutandam, quomodo homo afficitur indutus, qui coheret indumento suo (c).

## COROLLARIUM.

146. Quemadmodum ergo, positis quibusdam motibus in corpore, certa excitantur affectiones in mente (§. 139.), ita vicissim, datis certis appetitionibus in anima, determinati quidam motus in corpore consequuntur.

## ANIMA DVERSIO I.

147. Tanta celeritate, si nihil vitii adsit in corpore, motus quos anima imperat, corpus ipsum exequitur; tamque cito ad animæ nutum motus eosdem cohibet, ut inter volitionem motus, & motum ipsum, sicuti etiam inter volitionem quietis, & ipsam quietem nihil prorsus temporis discernere valeamus. Imperat animus, ut moveatur manus, inquit S. Augustinus, & tanta est facilitas, ut vix a servitio discernatur imperium (d).

## ANIMA DVERSIO II.

148. Modum ignorat mens, quo imperatos ab se motus corpus exequitur. Non enim distincte scimus, quæ movenda sint partes, seu quinam nervi, atque musculi, & qua lege, ut hinc moveatur

Phil. Ment. T. II.

N

lin-

(a) Lib. XIV. de Civitate Dei cap. 23. num. 2.

(b) Ibidem cap. 24. num. 1.

(c) Lib. XI. de Trinitate num. 7., alias cap. 4.

(d) Lib. VIII. Confessionum num. 21., alias cap. 22.

lingua, & formetur vox; quæque partes, & quomodo, ut ita agantur pedes, quemadmodum imperata ambulatio requirit. Profecto non adhuc convenit inter Philosophos, quæ motus muscularum, quibus spontanei quique motus immediate peraguntur, vera sit causa.

### COROLLARIUM I. UNIVERSALE.

149. Anima igitur, atque corpus ex vi ineffabilis illius unionis, qua inter se mutuo copulata sunt, se habent, perinde prorsus ac si corpus re ipsa ageret in mente, & vicissim mens in corpore; ac propere non secus ac si mens a corpore, & corpus a mente in operando re ipsa dependeret. Videtur quippe, corpus notiones rerum earum in mente producere, a quibus ipsius organa immutantur; & vicissim mens eos in corpore motus immediate efficere, qui ad illeius nutrum ab ipso corpore peraguntur.

### S C H O L I O N.

150. Dixi, videri corpus re ipsa dependere a mente, & mentem a corpore, non autem rem ita esse. Negant enim Cartesius, Malebranchius, atque Volfius, ut patebit, mentem a corpore, & corpus a mente dependere re ipsa, contendentes, rem vere ita non esse, licet, propter certam, stabilem, ac fixam operationum concomitantiam, ita esse videatur.

### COROLLARIUM II. UNIVERSALE.

151. In omni ergo systemate de commercio humanae mentis cum corpore id unum statuendum est, certoque tenendum, rerum sensibilium notiones eo modo oriri in anima, & motus spontaneos eo modo in corpore fieri, ac si re ipsa corpus in mentem, & mens in corpus influeret; atque hinc perinde omnino, ac si ratio, cur mens percipiat res sensibiles, sit in corpore; & vicissim ratio, cur spontaneos motus corpus peragat, in mente habeatur. Quamobrem

### COROLLARIUM III. UNIVERSALE.

152. Ut explicetur commercium, quod habetur inter mentem humanam, & corpus, ostendendum est, cur ex mutationibus, quæ sunt in corpore a rebus sensibilius, rerum earundem notiones excitentur in ani-

*anima, perinde ac si corpus vi sua eas in anima produceret, & cur ad nutum animæ fiant voluntarii motus in corpore, veluti ac si motus ipsi immediate ab anima efficerentur. Cum enim in hac tam mirabili connexione idearum cum mutationibus, quæ fiunt in sensuum organis, & spontaneorum motuum cum eorundem volitione, totum ipsum commercium positum sit, ratio hujuscæ connexionis reddi debet, ut commercium ipsum philosophice explicetur & ostendatur.*

## SECTIO SECUNDA.

*An mutuum commercium inter humanam mentem, & corpus in systemate causarum occasionalium sufficienter explicetur.*

153. **O**pinantur non pauci cum Cartesio, & Malebranchio, neque corpus in mentem, cum ex mutationibus in illo factis res mens ipsa percipit; neque mentem in corpus, cum ad illius nutum corpus ipsum movetur, physice influere; sed Deum esse, qui occasione mutationis peractæ in sensorio a re sensibili, illius ideam in mente producat; occasione volitionis motus, quam habet mens, motum ipsum in corpore efficiat. Non modo corpora, inquit Malebranchius, non possunt esse vera causa nullius rei, mentes etiam nobilissimæ in eadem versantur impotentia. Nihil possunt cognoscere, nisi Deus ipsas illuminet. Nihil possunt sentire, nisi Deus ipsas modificet. Nihil possunt velle, nisi Deus ipsas versus se moveat. Possunt equidem determinare impressionem, qua Deus ipsas versus se inflectit; sed non satis scio, an id dici possit potentia. Si posse peccare est potentia, certe est potentia, quam Omnipotens non habet, inquit alicubi Augustinus. Si homines a se haberent potentiam amandi bonum, aliquam potentiam habere dici possent. Sed homines non possunt amare, nisi quia Deus vult, ipsos amare; & quoniam Dei voluntas est efficax, homines non possunt amare, nisi quia Deus illos indefinenter impellit versus bonum in genere, hoc est, versus se. Deus enim illos dumtaxat creavit propter se, illos nunquam conservat, quin eos versus se impellat. Ipsi igitur sese non movent versus bonum in genere. A Deo moventur dumtaxat. Hanc impressionem liberime sequuntur juxta legem divinam, vel illam versus falsa bona determinant juxta legem carnis; sed illam determinare non possunt, nisi intuitu boni. Cum enim nihil possint prater id, quod Deus vult, nihil possunt amare prater bonum. Sed licet supponeremus (quod equidem ve-

rum est aliquo sensu) mentes per se habere potentia cognoscenda veritatis, & amandi boni, si ipsorum cogitationes, & voluntates nihil extrinsecus producerent, merito dicere possemus, illas nihil posse. Jam autem constare mihi videtur, voluntatem spiritum vel minimum corpus movere non posse. Nam, nullam esse connexionem necessariam inter voluntatem nostram, exempli gratia, movendi brachium, & motum brachii, evidens est. Movetur equidem, quando volumus, illud moveri; ac proinde sumus causa naturalis motus brachii nostri. Sed causæ naturales non sunt verae causæ. Nihil sunt, quam causæ occasio[n]ales, quæ non agunt, nisi vi & efficacia voluntatis divina, ut jam dictum est. Quomodo enim brachium nostrum movere possemus? Ut moveatur, opus est spiritibus animalibus. Illi spiritus mit[er]endi sunt versus quosdam nervos, & versus quosdam musculos, ut inflentur & contrahantur. Sic enim brachium his alligatum moveatur. Vel juxta nonnullos, nondum satis compertum est, quomodo id fiat; & experientia nos docet, homines, qui nequidem sciunt, an habeant spiritus, nervos, musculos, movere tamen brachia, imo facilius & solerius iis, qui optime callent anatomiam. Hinc igitur concludendum est, homines quidem velle movere brachium, sed Deum solum posse, & nosse illud movere (a). Hactenus Malebranchius. Itaque juxta hoc sistema sicuti solus Deus est efficiens causa tum idearum, quæ excitantur in anima, tum motuum, qui a corpore paraguntur, ita ex illius dumtaxat voluntate repetenda causa est, cur rerum ideæ mutationibus corporis, & motus corporis volitionibus mentis harmonice respondeat: dicendum nempe, Deum esse efficientem causam istiusmodi commercii, quatenus ipse solus modifical corpus in gratiam animæ, & animam in gratiam corporis, seu quatenus hanc sibi legem constituit, ut, certis positis mutationibus in corpore, certas excitaret rerum ideas in mente; & vicissim, positis quibusdam appetitionibus in anima, certi illico motus ab eo in corpore producerentur.

## S C H O L I O N.

154. Qui in explicando commercio mentis cum corpore, hoc sistema amplectuntur, occ[asionalist]æ dici solent. Occasionalista enim est, qui non aliam causam, nisi occasionalem, in rebus creatis admittit.

PRO-

(a) Lib. VI. de inquirenda veritate  
P. II. cap. 3.

## PROPOSITIO I.

*Phænomenon mutui commercii, quod mentem inter atque corpus est, per occasionalium causarum systema non explicatur.*

155. *Probatur.* Palam non sit, cur magnes trahat ferrum, & magnetica acus polum constanti lege respiciat, si dicatur, id ex eo contingere, quod Deus ad præsentiam magnetis motum in ferro producat, efficiatque, ut magnetica acus ad polum si libera fuerit, perpetuo dirigatur. Cum enim nemo sit, quem lateat, Deum esse, a quo, ut ait S. Augustinus, est omnis modus, omnis species, omnis ordo: a quo est mensura, numerus, & pondus: a quo est, quidquid naturaliter est (a), nemo hac explicatione doctior efficitur. Ergo neque phænomenon commercii, quod mentem inter, atque corpus est, in aperto ex eo ponitur, quod dicatur, id propterea esse quia Deus ideam rei menti imprimit, quam primum res ipsa sensorium afficit; & motum corpori communicat, statim ac vult mens, ut motus ille in corpore peragatur. Nullum quippe, si animo ingenuo verum fateri velimus, discriminem appetet.

*Confirmatur.* Etenim Recentiores omnes, & quidem ii potissimum, qui, ubi de mutuo commercio inter mentem, & corpus res illis est, occasionalium causarum systemati patrocinantur, ideo dicunt, naturæ phænomena per facultatis, potentia, naturæ, attractionis, sympathia, antipathia, aliaque id genus abstracta vocabula, perspecta minime fieri, quia, si per illa explicitur, nemo ea in re doctior efficitur. Aristotelem certe carpit Malebranchius, quod omnia proponat & solvat egregiis terminis generis, speciei, actus, potentia, naturæ, formæ, facultatum, qualitatum, causa per se, causa per accidens. Ipsius sectatores vix possunt credere, inquit Vit Cl., istis terminis nihil significari, nec quemquam doctiorem fieri, ubi eos audivit dicentes, ignem dissolvere metalla, quia habet facultatem dissoluendi, & hominem non concoquere cibum, quia habet stomachum debilem, vel quia facultas concoctrix non bene suas obit functiones ..... Ignis calefacit, siccatur, obduratur, emollit, quia præditus est facultate producendi hæc effecta. Senna purgat qualitate purgativa, atque etiam panis nutrit facultate nutritiva. Istæ propositiones extra erroris periculum sunt posita. Qualitas est id, quod efficit, ut res tali nomine designetur. Id certe Aristotelis negari nequit. Ejusmodi loquendi formulae equidem non sunt false, sed revera nihil significant. Istæ ideae vagæ & indeterminate in errorem non

Phil. Ment. T. II.

N 3

inii-

(a) Lib. V. de Civitate Dei cap. II.

iniiciunt, sed veritatire tegenda inutiles sunt (a). Verum si res ita sit, ut est verissime, non video, cur Malebranchio id ipsum obiici a Scholasticis nequaquam possit, cum harmoniae, quae inter operationes mentis, & corporis est, causa queritur. Norunt quippe omnes, quidquid in Mundo fit, Dei voluntate fieri, non minus ac omnes sciant, ferrum trahi a magnete attractrice. Nemo ergo sit doctior, cum sibi querenti, quae sit mirabilis illius harmoniae causa, haec una datur responsio, quia eam Deus inter mentem & corpus legem constituit, ut modificationes utrinque hujusce substantiae sibi mutuo responderent, quemadmodum nemo doctior efficitur, cum ei, si querat, cur magnes trahat ferrum, responderet, id ex attractrice facultate, quae in magnete est, provenire. Igitur eodem ipso jure, quo, Viri Cl. sententia, haec responsio inutilis est, illa quoque difficultatem non solvit.

## PROPOSITIO II.

*Explicatio mutui commercii inter mentem & corpus per systema causarum occasionalium est Philosopho prorsus indigna.*

156. Probatur. Indignum est Philosopho, non aliam eorum, quae in Mundo contingunt naturae phœnomena, rationem afferre, nisi quia Deus vult, ut ita res fiant, nimirum ut ferrum in magnetem tendat, gravia, si suo genio relinquantur, deorsum ruant, eorumque descensus juxta progressionem numerorum pariter imparium continuo acceleretur &c. Anaxagoram certe, nec immerito, omnium iudicio, irrisit olim Aristoteles, propterea nimirum quia tamquam *machina*, uteretur mente, scilicet *Deo*, ad Mundi generationem (b); utque habet Tullius, magna stultitia est, earum rerum Deos facere effectores, causas rerum non querere (c). Quidquid enim oritur, qualunque est, causam habeat a natura necesse est (d); unde Stoicos redarguit Vir summus, quod dicent, *nihil fieri sine Deo, nec ullam vim esse naturæ, ut sui dissimilia posset effingere* (e). Certum est autem, mutuum commercium mentis cum corpore non minus esse naturæ phœnomenon, ac hujuscemodi sit attractio ferri a magnete, gravium descensus, ejusque per numeros pariter impares acceleratio &c. Ergo si res est indigna Philosopho, posteriora haec naturæ phœnomena Dei voluntati, tamquam proximæ eorum causæ, accepta referre, Philo-

(a) Lib. VI. de inquirenda veritate P. II. (c) Lib. III. de Divinatione cap. 26.  
cap. 2. (d) Ibidem cap. 28.

(b) Lib. I. Metaph. cap. 6.

(e) Lib. III. de natura Deorum cap. 9.

Iosophum quoquè dedecet quam maxime , mutuum intèr corpus mentemque commercium per systema occasionalium causarum explicare .

*Confirmatur.* Philosophi non agit munus , qui in explicandis naturæ phœnomenis contentus est abstractis Scholæ vocabulis , attractrice nimirum virtute , ut rationem reddat , cur magnes ad se ferrum alliciat ; facultate soporifica , ut explicet , cur papaver soporem inducat &c. Tantundem quippe & rusticus quisque respondere potest. Nemo non novit , inquit Vir doctissimus , arterias pulsare , ferrum ad vicinum magnetem tendere , sennam purgare , papavera soporem inducere . Qui docti haberi non cupiunt , quibus ignorantia propudio non est , libere fatentur , tales effectus in rerum natura esse , sed una causa , a quibus sunt , se ignoras ; cum e contra docti , quos suppuderet idem fateri , alter se extricant ; pronunciant namque veras se causas ad invenisse , in arteriis nempe esse virtutem pulsificam , in magnete magneticam , in senna purgativam , in papavere soporificam. Idoneum mehercle responsum ! Et quo quivis e Sinenibus eadem facilitate potuisset sibi eam admiracionem eximere , quam allata illuc recens ex Europa horologia incutiebant. Dicere namque poterat , sibi perspectissima esse ea omnia , quæ ceteri tantopere demirabantur , illasque esse tantum machinas virtute indicatrice præditas , quæ horas demonstraret , & virtute sonorifica , quæ easdem di numeraret . Nec sane ille minus hoc pacto in horologiorum scientia proficiisset , quam nostrates Philosophi in scientia pulsuum arterialium , proprietatumque magnetis , sennæ , & papaverum (a) . Ipse quoque Vir. Cl. Malebranchius , omnibus , ait , ludibrium deberent Philosophi , si motum attractionis , & facultates attractrices supponerent ad explicandum , quo pacto currus sequatur equos sibi juctos , & facultatem detersivam in scopis ad deterendas vestes , & sic de ceteris . Unde concludit horum Philosophorum principia usum dumtaxat habere in questionibus obscuris , quia capi nequeunt (b) . Modo quam recte hæc omnia quadrent etiam iis , qui , cum causa queritur commercii mentis cum corpore , per occasionalium causarum systema satis se fecisse putant , negabit nemo , qui rem & quo animo ad trutinam revocare voluerit . Sane nihil dicunt falsi , qui per vim attractricem positam in magnete rationem reddunt , cur ferrum in magnetem tendat ; vere enim hæc datur virtus . Sed neque nos fallant , qui commercium mentis cum corpore ex Dei voluntate derivant ; cum res sit certissima , sine divina voluntate illud haberri non posse . Per vim attractricem non plus scimus de ferritendentia in magnetem , quam ipsi nobis sensus ostendant . At

N 4

ne-

(a) Auctor Artis cogitandi P. III. cap. 19.

(b) Lib. VI. de inquirenda veritate P. II. cap. 4.



neque per legem a Deo positam , vi cuius Deus ipse modificet animam in gratiam corporis , & corpus in gratiam animæ , plus de hac harmonia cognoscimus , quam in semper ipso unusquisque continuo experitur . Vix attractrix nomen est adeo vagum , ut illi nulla prorsus subsit notio distincta . Verum & Dei voluntas causa universalissima est , cui omnes naturæ effectus ex æquo subjiciuntur . Igitur , si , omnium judicio , & recte quidem , Philosophi non meretur nomen , qui tendentiam ferri in magnetem per indeterminatum attractricis facultatis vocabulum exponere contentus est ; nec is profecto , qui in explicando commercio mentis cum corpore : Deum , tamquam ex machina , vocat & attrahit , dignus haberi potest , qui inter Philosophos censeatur .

### PROPOSITIO III.

*Commercium humanae mentis cum corpore nequit per occasionalium causarum systema explicari , nisi mens ipsa illius ponatur naturæ , ut nihil prorsus agere ea possit , sed tantum pati .*

157. *Probatur.* Etenim , si qua virtus inest humanæ menti , qua active possit vel seipsum , vel aliud a se distinctum modificare , nulla plane ratio relinquitur , cur rerum quoque ideas in se cedere ipsa non possit . Idea siquidem rei , cum non sit , nisi mera modificatio mentis cogitantis , tantæ perfectionis illa sane non est , ut nequeat ab ipsa mente produci , si nempe detur , vim inesse menti , qua possit vel seipsum , vel aliud a se distinctum , active modificare . Ergo vel mens humana pro substantia penitus inertii habenda est , vel per systema causalium occasionalium illius cum corpore commercium explicari recte non potest .

*Dices* , vim denegari posse menti humanæ , qua rerum in se cedat ideas , quin omnis activa virtus eidem auferatur . Ex eo enim , quod certa uni non insit virtus , minime sequitur , illud omni penitus agendi facultate destitui .

*Contra:* quia , si non omni virtute activa caret mens , non omnis causa creata pro occasionali , secus ac ipsi doceant occasionalistæ , habere debet . Occasionalis quippe non est causa , quæ innata sua vi aliquid immediate producit . Præterea ideo per summum occasionalistam Malebranchium , ut clarius suo loco dicemus , nequit humana mens ideas rerum in se cedere , quia , licet rerum ideae non sint nisi certæ modifications mentis , earum tamen productio est vera creatio . Ergo nihil omnino producere potest mens , si rerum ideas in se cedere ipfa



sa non possit. Qualiscunque enim ea sit affectio; quæ ab humana mente fieri *active* dicatur, stabit semper, posita Malebranchii doctrina, creandi facultate humanam mentem pollere.

*Confirmatur assertio.* Mentes etiam nobilissimæ, si Malebranchium audiamus, in eadem versantur impotentia, in qua sunt corpora (a). Eodem autem teste, impotentia corporum tanta est, ut ne vestigium quidem activæ virtutis in illis habeatur. Ita enim scribit Vir summus: *vis movens corporum non est in corporibus, quæ moventur; cum vis illa movens nihil aliud sit, quam Dei voluntas.* Itaque corpora per se omni actione destituta sunt, & ubi globus motus alium sibi obviuus movet, primus ille globus alteri nihil communicat, quod habeat in se; ipse enim non habet impressionem, quam communicat ..... Omnes naturæ vires nihil aliud sunt, quam Dei voluntas. Deus creavit mundum, quia id voluit: Dixit, & facta sunt. Omnia movet, & sic omnes, quos videmus, effectus prodit, quia etiam certas voluit leges, secundum quas motus communicarentur corporibus sibi invicem occurserentibus; quia vero leges illæ sunt efficaces, agunt; corpora vero ipsa non agunt. Nullæ igitur sunt vires, potentia, causa veræ in mundo materiali & sensibili, nec ullæ in eo admittenda sunt forme, facultates, & qualitates reales ad producendos effectus, quos corpora nequeunt producere (b). Ergo, si eadem ipsa, quæ corporum, creatarum quoque mentium impotentia est, nulla penitus agendi virtus, juxta occasionalistarum systema, humanæ menti est tribuenda.

#### PROPOSITIO IV.

*Explicatio commercii mentis cum corpore per occasionalistarum sistema innitur principio, quod intimo sensui adversatur.*

158. *Probatur.* Nulla est explicatio commercii mentis cum corpore, quam tradunt occasionalisti, nisi pro re certa habeatur, intrinseca agendi virtute mentem nostram plane substitui (§. 157.). Hoc autem intimo sensui plane contrarium est. Non minus quippe per sensum intimum consciæ sumus, nos cogitare, existere, tristari, dolere &c., quam, cum judicamus, ratiocinamur, aut aliquid volumus, sumus certi, nos agere, hoc est, activam nobis inesse vim, qua mens nostra seipsum excitat, atque ad judicandum, ratiocinandum, unumque alteri præferendum, se impellit, certoque modo determinat. *Sentit animus, se moveri,* inquit Tullius, *quod cum sentit, illud una sentit, se vi sua,*

(a) Lib. VI. de inquirienda veritate P. II. c. 3. (b) Ibidem.

*non aliena, moveri* (a). Ergo explicatio commercii mentis cum corpore juxta occasionalium causarum sistema innititur principio, quod intimo sensui adversatur.

*Dices*, videri quidem, mentem agere, dum cogitat, sed rem non ita esse. Deceptionem autem hanc ex eo oriri, quod nullam sentiamus causam, a qua mens nostra agatur.

*Contra*: quia si detur, mentem falli, dum sentit, se vi sua, non aliena, moveri, non video, cur dum sentit, se cogitare, velle, atque tristari, ipsa itidem non fallatur. Eadem enim ratio est, ut rem æquo expedenti animo perspicuum fiet. Igitur aut in iis fallimur, quæ intimo sensu nobis nota sunt; unde turpiter errat Cl. Malebranchius, cum ait, cognitionem, quam mentis nostræ per conscientiam ipsi habemus, imperfectam quidem esse, sed non falsam (b); aut dicamus oportet, nos minime decipi, cum, mentem nostram se vi sua, non aliena moveri, eodem modo ipsi sentimus.

Falsum porro est, videri nobis, mentem, dum cogitat, non agi, sed agere; quia causa nobis non appareat, a qua tunc illa agatur; consciæ siquidem sumus, mentem nostram irrequietæ esse naturæ, sibique moderari, dum cogitat, quin de externa impellente causa ne quidem levissime cogitemus. Verum plura hac de re, cum de humanae voluntatis libertate differemus.

### P R O P O S I T I O V.

*Commercium mentis cum corpore per occasionalium causarum systema explicari non potest, nisi humana libertas penitus evertatur.*

159. *Probatur*. Nulla in homine libertas est, si illius mens omni agendi virtute sit penitus destituta. Si enim mentis inertia non impedit, quominus, cum agitur, libere se movere tunc ipsa dicatur, neque inertia corporum prohibere jure ac merito poterit, quominus & ipsa corpora, cum ab externa impelluntur causa, libere prorsus se movere dicantur. In corporibus autem ne vestigium quidem libertatis est, ut norunt omnes. Ergo nulla quoque libertas erit in mente, si plane iners substantia & ipsa statuatur. Constat autem, humanam mentem, occasionalistarum admisso sistente, omni agendi virtute prorsus destitui (§. 157.). Ergo humana libertas nulla itidem est, si mentis cum corpore commercium per occasionalium causarum sistema explicetur.

Con-

(a) Lib. I. qq. Tuscul. cap. 23.

(b) Lib. III. de inquirenda veritate P. II. c. 7. n. 4.

*Confirmatur.* Eodem modo, si occasionalistarum doctrinæ stare velimus, volitiones, & nolitiones sunt in anima, quo rerum notiones in eadem ipsa contingent. Sicuti enim, illos si audiamus, rerum ideæ, occasione motuum, qui in organis sensoriis fiunt, menti a solo Deo imprimuntur; ita volitiones, & nolitiones eidem menti a solo ipso Deo communicantur, occasione vel perceptionum, quæ eidem impressæ a Deo jam sunt, vel quorundam motuum, qui in corpore ab eodem itidem peraguntur. Cl. Malebranchius, qui summus inter occasionalistas est, nullum certe discriminem ponit inter modum, quo rerum perceptiones; & eum, quo earundem appetitiones in mente fiunt. Inquit enim: *verum enim vero non modo corpora non possunt esse vera causa illius rei; mentes etiam nobilissima in eadem versantur impotentia.* Nihil possunt cognoscere, nisi Deus ipsas illuminet. Nihil possunt sentire, nisi Deus ipsas modificet. Nihil possunt velle, nisi Deus ipsas versus se moveat (a). Mens autem non agit, sed agitur, cum rerum ideas obtinet. Ergo neque agit, sed agitur, dum rem aliquam aversatur, vel amore prosequitur; ac proinde sicuti libera in rebus percipiendis non est, ita nec est libera in iisdem appetendis.

Præterea ve vollitio alicujus boni, quam habet mens, *active* ab ipsa producitur, vel non. Si non: ergo dum vult, non agit, sed patitur, & ideo non est libera. Si vero *active* ab illa producitur: ergo eodem jure poterit & quævis rei notio ab eadem in seipsa produci. Utraque enim, scilicet tam rei perceptio, quam ejusdem volitio, non est nisi pura mentis modificatio.

Dices, hominem a Deo quidem indesinenter impelli versus bonum in genere, esse vero ab hominis voluntate, ut hanc impulsionem determinet, nimis ut unum potius, quam aliud particulare bonum amore prosequatur.

Sed contra, & quidem primo: quia voluntas non se determinat ad particulare bonum, nisi quatenus illud vult. Determinatio enim voluntatis ad unum est ipsa volitio. Igitur aut volitio est *active* a voluntate, aut non tantum impulsio versus bonum in genere, sed etiam voluntatis ad unum determinatio ex Deo est derivanda.

Secundo: quia ipso auctore Malebranchio, ut diximus, *mentis etiam nobilissima in eadem versantur impotentia*, in qua sunt corpora (b). Corporum autem tanta, ut patet, inertia est, ut neque se mouere, neque receptam ad motum impulsionem determinare ipsa possint. Ergo neque mens, si æque ac quodvis corpus, sit iners substantia,

im-

(a) Lib. VI. *de inquirenda veritate*  
P. II. cap. 3.

(b) Ibidem.

impulsionem, quam versus bonum in generē a Deo recipi, poterit determinare.

*Tertio*: quia aut illa determinatio versus bonum particulare, quæ dicitur esse a voluntate, est aliquod reale, nempe realis modificatio divinæ impulsionis in anima receptæ, aut est purum nihil. Si purum nihil: ergo nihil quoque est humana libertas, utpote quæ nihil præstat. Si vero sit aliquod reale: ergo, cum illa a voluntate proficiat, mens virtute agendi prædicta est; ac propterea potest tum rerum ideas, tum suas omnes appetitiones active producere.

*Postremo*: quia aut mentem determinare impressionem, qua Deus mentem ipsam versus se inflectit, est agere, vel non. Si non est agere: ergo non solum versus bonum in genere, sed etiam versus bonum particulare a Deo determinatur mens, atque impellitur; & ideo nullo modo est libera. Si autem est agere: ergo mens humana non est iners adeo substantia, ut nonnisi occasionali causæ habere rationem possit.

Porro se ignorare fatetur Cl. Malebranchius, an posse determinare divinam impressionem valeat potentia nomine designari. Posunt equidem, inquit, creatæ mentes determinare impressionem, qua Deus ipsas versus se inflectit; sed non satis scio, an id dicit possit potentia (a). Mirum tamen nemini videatur, si tantus Vir id ab se ignorari dicat. Neque enim ulla activa potentia in humana mente videtur ab eo posse admitti, cui solempne fuit, cogitandi facultatem, quæ homini collata a Deo suisse dicitur, appellare terminum logicum, vocem vagam & indeterminatam; nullum esse ens, nec modum entis, qui sit facultas; ac demum eos omnes circum agere, nec assequi, quid dicant, qui activam facultatem in creata substantia admittunt (b). Videant ergo, qui occasionalium causarum systema ad humanam etiam mentem extendunt, quomodo, hac admissa hypothesi, in tuto esse possit humana libertas.

Unum tamen est, quod dissimilare minime possum. Inter mentes nostras, & corpora, que nos ambient, inquit laudatus celeberrimus Auctor, multum est discriminis. Mens nostra vult, agit, se se aliquo sensu determinat, fateor. Hujus veritatis sensu interno, quem de nobis metipsis habemus, seu conscientia, convincimur. Si nulla nobis esset libertas, nec præmia, nec pœna futura essent; nam sine libertate nec bona, nec mala sunt actiones. Itaque religio esset mera chimera. At corpora vi agendi prædicta esse, illud demum est, quod nec clare vide-

mus,

(a) Lib. VI. de inquirenda veritate  
P. II. cap. 3.

(b) Illustrat. cap. 3. lib. VI. P. II.  
de inquirenda veritate.

mus, nec contipi posse existimamus, & illud quoque est, quod negamus, dum causarum secundarum efficaciam negamus (a). Humana igitur mens, etiam Malebranchii judicio, vult, agit, ac sese aliquo sensu determinat. Ergo inest menti potentia volendi, agendi, sese determinandi. Potentia autem cogitandi, si, ut paulo antea diximus, Virum ipsum doctissimum audiamus, terminus *logicus* est, *vox uaga*, & *indeterminata*; iisque agunt circulum, nec assequuntur, quid dicant, qui creatam substantiam *activa* facultate præditam esse contendunt. Ergo etiam potentia volendi, agendi, & sese determinandi terminus est *logicus*, *vox uaga*, & *indeterminata*; cumque hanc potentiam ille itidem in humana mente fateatur, admittit & ipse, quod in aliis irridet, *logicum scilicet terminum, vocem vagam, & indeterminatam*; agitque circulum, neque assequitur, quid ab se dicitur. Præterea si inter mentes nostras, atque corpora, quæ nos ambiunt, multum, ut ipse ait, discriminis est: ergo non sibi consentit, cum docet, *mentes etiam nobilissimas in eadem versari impotentia*, in qua corpora quæque existunt. Etenim, si eadem mentis, atque corporis impotentia est, nullum prorsus hasce inter substantias discrimen relinquitur.

In tuto demum non est humana libertas, si occasionalistarum aliquis contendat, ideo voluntatem nostram libere velle, & nolle, quia ea lege volitiones ipsæ, & nolitiones a Deo in anima producuntur, qua ab eadem producerentur, si agendi, ac sese determinandi facultate mens ipsa polleret. Humana, inquam, libertas in tuto non est, quemadmodum nihil libertatis corporibus jure conceditur. Liberi quippe essent etiam omnes motus corporis, si ad actionis libertatem id unum sufficeret, ut eo modo actio ipsa a Deo in subjecto producatur, quo ab illo produceretur, si libere operari valeret. Neque enim huic difficultati fit satis, si quis dicat, repugnare corporibus, ut libere moveantur. Non fit satis, inquam; quia non fecus de humana voluntate opinari possemus. Aut enim repugnat, ut mens humana determinare seipsam valeat, aut non repugnat. Si non repugnat: quærō, cur humanæ menti hanc vim Deus re ipsa non contulerit; & undenam id factum modo non esse colligatur? Si autem repugnat: ergo mentis atque corporum pars conditio est; ac proinde vel etiam motus possunt a corporibus libere prorsus produci, vel neque appetitiones libere modo ab humana mente elicuntur. Remanet igitur, aut mentem humanam præditam intrinsecus esse

(a) Illustrat. cap. 3. lib. VI. p. II. de inquirenda veritate ad 6. argumen.

esse vi, sive potentia sese determinandi, & ideo nullum esse occasionalium causarum systema, aut mentem ipsam intrinseca agendi vi plane destitui; ac propterea humanam libertatem ab occasionalistis convelli penitus, & plane everti.

At erit fortasse, qui dicat, humanam mentem habere quidem vim determinandi motionem erga bonum in genere sibi a Deo impressam, & ideo non esse substantiam omnino inertem, sed activam; verum ea potentia carere, qua corpus, cui juncta est, determinare ad motum possit; ac proinde quoad motus corporis esse causam tantum occasionalem; quoad suas vero appetitiones veram efficientis causæ rationem habere.

Sed contra: quia, si virtus activa inest menti, qua possit appetitiones suas in se producere, seque ipsam active modificare, non est, cur illa quoque ei non insit virtus, qua & rerum ideas cedere queat, & corpus, cui jungitur, ad motus, qui voluntarii dicuntur, determinare. Par enim ratio est, ut satis patet ex dictis. Non inficior, ut etiam dicemus suo loco, latere modum, quo mens corpus moveat. Verum, si detur, mentem ipsam præditam esse activa virtute, sive potentia operandi, illegitime prorsus ex eo, quod in abdito sit modus, quo corpus ad motum determinet, infertur, vi movendi corpus eam omniaco carere. Plura enim sunt, quæ fiunt, licet modum, quo fiant, ignoremus.

### SECTIO TERTIA.

#### *Expenditur systema harmoniae præstabilitæ.*

160. **R**ejecto occasionalium causarum systemate, quod eo uti in explicando mutuo mentem inter atque corpus commercio, neque deceat Philosophum, neque (absit verbo invidia) viro catholico liceat, celeberrima præstabilitæ harmoniae hypothesis consideranda occurrit. Hanc primus omnium excogitavit Leibnitius, vir in Mathesi, & Philosophia nulli certe secundus. Sentiens Vir summus, & acutissimus, inquit Cl. Petrus de Crosa, nullas hucusque ad explanationem conjunctionis mentis cum corpore excogitatas fuisse hypotheses, qua non premerentur suis difficultatibus, suaque obscuritate; tanta questionis elucidationem sagacitate sua dignissimam reputans, sese accinxit ad eam pertractandam, & assueto rerum natura phænomenis per mechanicas causas explicandis, venit in mentem, hominum animas totidem automa esse, suis singulis corporibus consonas. Placuit inventum

no-

novitate & singularitate summa sua, nec minus imposuit specie quadam sublimitatis. Virum paradoxas conclusiones circa infinitum demonstrare assuetum non deterrerunt portentosa consequentia, quas forte ab initio ne quidem ille vidit, a consequentiis, ingenio suo dilectissimum fætum impugnantibus & evertentibus, attentionem animi detorquens suam Gallico idiomate scripsit THEODICEAM, multa continens, quæ si cerro quodam sensu explicentur, providentiam Divinam liberant ab objectionibus desumptis ex malo, quod cum bono permixtum orbis noster complectitur, Virique docti fama tanti Viri permotæ, ejus verba in sensum commodum interpretati sunt, quodque difficultatis supererat ejus hypothesis, id omne & materie sublimitati, & linguae etiam Auctori non vernaculae imputarunt; sceterum ejus conatus, scopumque ipsi propositum, quem rectum & sanum putabant, laudibus prosequente. His Viro celeberrimo animus crevit, inductusque est, ut hypothesis a probabilitate ad eam certitudinem evehere enteretur, quam conclusionibus suis demonstrationes mathematica conciliant: quæ suscipientem ars ipsa sua fecellit, & ad absurdâ non satis circumspectum, nec satis sibi diffidentem adduxit (a). Tam ergo celebrem hypothesis accuratius, quo fieri a me potest, expendam modo; utque in ipsa discussione ab omni me invidia liberem, iisdem ipsis verbis eam exponam, quibus ab uno illius propugnatore acerrimo Cl. Volfio exhibetur.

## DEFINITIO.

161. **Systema harmonia præstabilitæ** dicitur illud, quo commercium animæ, & corporis explicatur per seriem perceptionum atque appetitionum in anima, & seriem motuum in corpore, quæ per naturam animæ, ac corporis harmonica sunt, seu consentiunt. Ita præstabilitam harmoniam definit Cl. Volfius in sua *Psychologia rationali* nuper Veronæ edita §. 612. Tria ergo sunt, quorum distincta acquirenda est notio, ut hoc systema probe attingatur. Primum est: quomodo habeatur series perceptionum, & appetitionum in anima. Secundum: quomodo contingat series motuum in corpore. Postremum: qua ratione fiat, ut series perceptionum, & appetitionum, quæ in mente est, seriei motuum respondeat, qui simul in corpore peraguntur; sive undenam proveniat, ut istæ duæ series convenient inter se, sibique mutuo inviolabili lege respondeant. Ex hoc enim postremo habet hæc harmonia, ut præstabilita dicatur.

162.

(a) *Dissert. Philosophico-Theol. de mente humana Sect. III. §. 46.*

## I.

162. Ad primum ergo quod attinet, humana mēns dicitur substantia illius naturae, ut naturali sua vi, independenter ab omni principio externo, hoc est, independenter ab omni motione, quæ fiat in corpore ex rerum sensibilium appulso, producat in se omnes perceptiones, & appetitiones, quas re ipsa in se producit, adeo nempe ut *perceptiones, & appetitiones in anima eodem, quo nunc, modo consequentur, etiam si corpus non existeret, consequenter anima eodem etiam, quo nunc, modo sibi repræsentaret hoc universum, etiam si mundus aspectabilis non existeret* (a). Perceptiones porro, & appetitiones producuntur in anima continua serie (b), nimirum tali lege, ut una alteri succedat, quin ne minimum quidem detur temporis instans, in quo nulla perceptio, nullaque appetitio in anima habeatur. Dicitur propterea, etiam in somno rerum ideas a mente nostra produci, licet confusas atque obscuras (c); cumque ex perceptione appetitio nascatur, sive ut ipse ait Volfius, *quamprimum rem quandam nobis repræsentamus tamquam bonam, eam appetamus* (d), & *quamprimum rem quandam nobis repræsentamus tamquam malam, eam aversemur* (e), si nunquam mens perceptionibus destituitur, eadem ipsa appetitionibus quoque nunquam caret, ac proinde sicuti perceptionum, ita appetitionum datur in anima, independenter ab omni extranea actione, sive determinante principio, nunquam interrupta series. Hinc Leibnitius humanam mentem dixit substantiam, cuius *perceptiones, & volitiones, numero innumeræ, per seriem non interruptam, & interrumpi impossibilem, altera alteram sequitur* (f), cumque hæc non interrupta perceptionum & volitionum veluti evolutio contingat, ut diximus, in anima independenter ab omni externo dirigente principio, sed ipsam et anima sit sola totius hujusce evolutionis *causa sufficiens* (g), idcirco mentem ipsam SPIRITUALE AUTOMATON vocavit idem Cl. Auctor, nempe quamdam veluti machinam, quæ vi sua omni secluso extrinseco movente, vel dirigente principio, suos motus peragit.

## I I.

163. Quemadmodum mens producit vi sibi propria, independenter a quovis externo principio, adeoque etiam a corpore, cui copulata

(a) Volfius *Psychol. rationalis* §. 614. (e) Ibidem §. 590.

(b) Ibidem ibidem §. 613.

(c) Ibidem ibidem §. 391.

(d) *Psychol. empirica* §. 389.

(f) Apud Petrum de Cossa *Dissert. Philosophico Theol. de mente hum.* Sect. III. n. 43.

(g) Volfius *Psychol. ration.* in not. ad §. 613.

lata est, suas perceptiones, & appetitiones continua serie; ita corpus organicum, cui mens ipsa conjungitur, ponit machina eo artificio a Sapientissimo rerum omnium Opifice elaborata, ut, independenter ab anima, eos omnes peragat motus, quo in illo fieri comprehendimus: omnes, inquam, hoc est, etiam eos, qui voluntarii dicuntur. In systemate harmonia præstabilitæ, inquit Volfius, vi mechanismi corporis ex ideis materialibus sensibilium (nempe ex motibus, qui ex sensibilium rerum appulsi fiunt in cerebro) nascuntur motus volitionibus & appetitionibus animæ respondentes, citra ullam determinationem extrinsecam immediatam (a) ab anima pendentem (b). Hinc, sicuti perceptiones, & appetitiones eodem, quo nunc, modo in anima consequentur, etiam si corpus non existeret (c), quia nimis, ut ille idem ait, vi sibi propria, eas mens producit (d): ita, quoniam motus volitionibus animæ respondentes in systemate harmonia præstabilitæ, vi mechanismi corporis, ex motibus ab impressionibus in organa sensoria factis, citra ullam determinationem extrinsecam ab anima pendentem consequuntur eodem, quo nunc, modo adhuc consequerentur, etiam si anima non existeret (e). Propterea in systemate harmonia præstabilitæ supponitur, possibile esse corpus, in quo series quadam motuum per impressiones objectorum exteriorum in organa sensoria conservari possit (f). Profecto, cum machinæ construi ab hominibus possint, quæ ita agant vi solius mechanisini, ut plures hominis actiones æmulentur, nemo certe inficiabitur, machinam potuisse a Deo fieri; quæ, vi solius itidem mechanisni, eos omnes motus, operationesque perficiat, quæ ab homine, totius vitæ cursu, peraguntur. Sicuti ergo mens spectatur in hoc systemate velut AUTOMATON SPIRITUALE, ita humanum corpus, tamquam AUTOMATON MATERIALE, in eodem assumitur.

## III.

164. Hæc igitur duo tam dissimilia automata, animam scilicet rationalem, & corpus organicum, ita simul junxit summus rerum Opifex, ut eodem Volfio teste, singuli motus, qui, vi mechanismi, fiunt in corpore, consentiant singulis perceptionibus, atque appetitionibus, & aversionibus animæ, eodem prorsus ordine sese invicem consequentes (motus corporis), quo animæ modificationes sese invicem excipiunt (g). Concipe, inquit celeberrimus Gravesandus, mentem, & corpus, quæ conveniant inter se.

*Phil. Ment. T. II.*

O

ita,

- (a) *Psychol. ration.* §. 615.
- (b) *Ibidem* §. 616.
- (c) *Ibidem* §. 614.
- (d) *Ibidem* §. 613.

- (e) *Ibidem* §. 616.
- (f) *Ibidem* §. 617.
- (g) *Ibidem*.

ita, ut hujus motus cum perceptionibus, & determinationibus illius respondeant, & habebis, integrum unionis mentis cum corpore arcanum. Convenientiam hanc vocant harmoniam præstabilitam (a). Verum, ut totum hoc artificium clarius distinctiusque percipiatur, vocare symbola, Algebristarum more, in subsidium liceat. Fingatur anima Petri separata ab illius corpore, eaque dicatur *A*, & corpus *C*. Anima illa a corpore sejuncta producat, tempore *x*, vi *sibi propria*, perceptiones *b*, *c*, *d*. Eodem autem tempore, vi *soliū mechanismi*, fiant in cerebro illius corporis tres motiones *m*, *n*, *p*, non quidem simul, sed ita, ut una motio alteram consequatur, sicuti & illæ perceptiones ea lege ponantur in mente fieri, ut earum una alteri succedat. Modo unita fingantur hæc duo automata ea ratione, ut ipso eodem temporis momento, quo mens producit perceptionem *b*, contingat in corporis cerebro motus *m*: motus *n*, cum in anima emergit perceptio *c*, & motus *p*, cum perceptio *d* in illa efficitur. Tunc certe habebitur machina *AC* composita ex corpore, & spiritu, nempe ex duabus veluti machinis, dissimilibus quidem, verum ita consentientibus in operando, ut earum actiones sint harmonicæ, quemadmodum hæc formulab. c. d.

la — ostendit. Talis ergo machina est homo in systemate *m.n.p.*

harmonia præstabilitæ. Etenim, ipso auctore Volfio, in anima datur series perceptionum, & appetitionum vi propria productarum, citra ullam realem animæ a corpore dependentiam; & in corpore datur series quedam motuum, vi mechanismi ex se invicem nascentium, & ab impressionibus in organa sensoria a sensibilibus factis pendentium, citra ullam dependentiam realem corporis ab anima. Quoniam earum una alteri constanter consentit, nulla in anima datur perceptio, vel appetitio, quin aliquis ipsi in serie motuum respondeat motus, nec vicissim aliquis in serie motuum datur motus, quin eidem in serie perceptionum, & appetitionum aliqua respondeat perceptio, & appetitio, ut nullus supponatur animæ, ac corporis in se invicem actio (a). En igitur sua nativa facie, suisque expressum coloribus celeberrimum præstabilitæ harmonia systema. Unde patet, illud duobus inniti principiis, quæ, ut facilius memori mandentur animo, paucis hic exhibemus.

PRIN-

(a) *Introduct. ad Philos. P. II. lib. I.*

*cap. 17. §. 241.*

(b) *Psychol. rat. §. 618.*

## P R I N C I P I A

Systematis harmoniae præstabilitæ.

## I.

165. Primum est, humanam mentem ita producere vi sibi propria independenter omnino a corpore, cui copulata est, seriem non interruptam perceptionum, & appetitionum, ut eandem ipsam seriem produceret, et si corpori non esset copulata, neque adspectabilis Mundus reipsa haberetur.

## I I.

166. Alterum est, corpus humanum esse machinam eo artificio constructam, ut omnes, qui in illo contingunt motus, peragantur vi solius mechanismi, sive structurae, sine ulla, ne minima quidem, reali dependentia ab anima, sed sola posita impressione ex appulsiu verum sensibilium in externa ipsis organa; adeo nimirum, ut eadem ipsi motuum series in illo perageretur, etiam si rationalis anima in eo nequaquam existeret.

## S C H O L I O N.

167. Quemadmodum occasionalista dicitur, qui commercium mentis cum corpore explicat per sistema causarum occasionalium, ita, qui in eodem commercio explicando præstabilitæ harmoniae utitur hypothesi, harmonista nuncupatur. Leibnitium porro quammaxime harmonistam appellandum censet Cl. Volfius, propterea nimirum quia non solum mente inter atque corpus præstabilitam harmoniam posuit, verum etiam quia harmoniam quamdam universalem omnium substantiarum simplicium, in quibus est fons phænomenorum verum materialium, concipit; & inter ipsum regnum gratiæ, atque regnum naturæ harmoniam quamdam admittit (a).

## PROPOSITIO I.

*Nulla positiva ratione ostendi potest, humanam mentem determinatam adeo esse per suam essentiam ad eam producendam idearum seriem, quam producit, ut a nullo prorsus externo determinante re ipsa dependeat; ac proinde ut in hac negotio veluti spirituale quoddam automaton sumi atque spectari legitime possit.*

168. *Probatur.* Si namque posset positive ostendi, humanam mentem in rerum ideis producendis independentem adeo esse ab omni extrinseco determinante, ut hac in re sit veluti *spirituale quoddam automaton*, id vel *a priori*, vel *a posteriori* ostenderetur. Neutro autem modo id praestari potest. Non enim *a priori*: etenim, ut *a priori* id ostendatur, omnino perspecta nobis esse debet mentis humanæ natura. Patet autem, naturam mentis nostræ nobis non omnino constare, alioquin nemo esset, qui de illius *spiritualitate* jure posset ambigere. Ergo *automatica* mentis *vis* nequit *a priori* ostendi. Adde, tam longe esse a veritate, vim hujusmodi nobis *a priori* in anima esse perspicuam, ut inter Philosophos ne quidem conveniat, an mens ipsa ideas rerum, vi sua, *active* producat, plerisque scilicet contendentibus cum Cartesio & Malebrancho, ut diximus supra, rerum ideas a nobis non fieri, sed occasione motuum, qui in corpore peraguntur, a Deo *immediate* menti communicari. At neque *a posteriori* demonstrari vis illa in anima potest. Tantum quippe abest, ut *a posteriori* ostendi queat, humanam mentem in rerum ideis producendis se habere, tamquam *spirituale quoddam automaton*, quin contrarium potius ex hoc capite apertissime colligatur. Evidens est enim, nullius prorsus rei sensibilis ideam excitari in anima, nisi certa motio in organo sensorio ab ipsa re primo fiat, tum cerebro communicetur; tantumque esse connexionem idearum, quæ excitantur in anima, cum determinatis quibusdam motibus organorum sensoriorum corporis, ut, si mens in rerum ideis producendis *physice* ab illis motibus, & ideo a corpore, dependeret, major esse non posset. Ergo neque *a priori*, neque *a posteriori* potest ostendi, mentem nostram ideas rerum ita vi sua producere, ut instar *spiritualis automatis* sumi in hoc negotio, atque spectari legitime queat. Igitur

Co-

## C O R O L L A R I U M .

169. Mentem humanam esse *automaton spirituale*, vel assumitur in systemate *harmoniae præstabilitæ*, tamquam mera hypothesis; vel peccant *harmonistæ* contra principium *rationis sufficientis*, si, rem ita revera esse, arbitrentur. Nulla est enim *sufficiens ratio*, cur *hujuscemodi naturæ mens ipsa* ponatur.

## A N I M A D V E R S I O .

170. Quoniam, inquit Cl. Volfius, in systemate *harmoniae præstabilitæ anima vi propria* producit omnes perceptiones, & appetitiones independenter ab omni principio externo, præsentia idearum materialium in cerebro, (earum scilicet motionum, quæ ex sensibilium rerum actione in illo excitantur) ad eas producendas nihil prorsus confert; adeoque perceptiones & appetitiones in anima eodem, quo nunc, modo consequentur, etiam si corpus non existeret (a). Verum scire optarem a Viro Cl., ubinam hanc humanæ mentis independentiam ipse evincat. Probavit quidem, mentem humanam præditam esse vi sibi repræsentandi universum, seu percipiendi res sensibiles (b); hancque vim illi esse essentialē (c), & naturalem (d). At nullibi, quod sciam, et si integrum suam *Psychologiam* susque deque percurrerim, ostensum ab eo est, mentem ipsam a corpore ne quidem ut ab extrinseco determinante in hoc exercitio dependere; adeoque tamquam *spirituale automaton* illam haberi jure ac merito posse. Imo tam longe a veritate est, ut mentis a corpore independentiam in rebus percipiendis alii cubi demonstraverit Vir Cl., quin potius contrarium apertissime ab illo tradatur. Docet enim, animam sibi repræsentare hoc universum pro situ corporis organici in universo, convenienter mutationibus, quæ in organis sensoriis contingunt (e); atque hinc animam habere vim sibi repræsentandi hoc universum limitatum materialiter situ corporis organici in universo; formaliter constitutione organorum sensoriorum (f), nempe dependenter a mutationibus, quæ fiunt in corpore ex sensibilium rerum, ut ipsemet ibidem exponit, appulsi. Addit insuper, ab se tunc non demonstrari, quomodo vis illa (producendi perceptio-nes) a corpore pendeat, ut limitationis sua fundamentum in eo cognoscatur.

Phil. Ment. T. II.

O 3

Tum

(a) *Phycol. ration.* §. 614.(d) *Ibidem* §. 67.(b) *Ibidem* §. 63.(e) *Ibidem* §. 62.(c) *Ibidem* §. 66.(f) *Ibidem* §. 63.

*Tum demum, inquit, id facere licebit, ubi in commercii inter mentem atque corpus intercedentis rationem inquisiverimus (a). At cum de hoc agens commercio, id non præstiterit, relinquitur, independentiam mentis ab omni externo principio in rebus percipiendis, non esse Cl. Volfio, nisi meram hypothesis. Nec enim eo adduci possum, ut credam, tantum Virum arbitratum fuisse, automaticam illam mentis vim ex eo recte colligi, quod *vi propria*, ut ille dixerat, suas perceptiones appetitionesque mens ipsa producat (b); mentem vero ideo producere *vi propria* omnes perceptiones appetitionesque suas, propterea quia eas producat convenienter mutationibus, quæ in organis sensoriis contingunt (c); adeoque a nullo externo principio illam dependere, sive *spirituale* esse *automaton*, quia vim habet sibi representandi hoc universum limitatam materialiter *situ corporis organici in universo*, formaliter *constitutione organorum sensoriorum* (d). Res namque sit ita est, dicendum proculdubio videtur, mentem humanam, Volfi judicio, propterea esse *automaton spirituale*, quia a corpore, ut a principio determinante, in operando dependet; & ideo per id *automaticam* vim mentis ostendi, per quod, si expensum probe fuerit, contrarium potius demonstratur.*

### PROPOSITIO II.

*Positiva aliqua ratione ostendi minime potest, corpus humanum esse re ipsa talem machinam, quæ vi solius mechanismi sive omnino independenter ab anima, omnes suos motus producat.*

171. *Probatur eodem modo, quo superiori loco ostensum est, nulla positiva ratione itidem evinci, animam rationalem esse spirituale automaton. Etenim neque a priori, neque a posteriori id potest ostendi. Non enim a priori; cum interna humani corporis structura nemini adhuc perfectissime innotescat. Neque a posteriori; cum, si spectetur modus, quo corpus humanum eos motus peragit, qui voluntarii dicuntur, contrarium potius appareat. Videtur quippe corpus ipsum in illis peragendis motibus subjici animæ imperio, ab eaque tamquam a determinante principio, realiter dependere (§. 145.). Ergo &c.*

Co-

(a) Psycol. ration. in not. ad §. 63.  
(b) Ibidem §. 613.

(c) Ibidem §. 62.  
(d) Ibidem §. 63.

## C O R O L L A R I U M

172. Humanum corpus, vi *soliū mechanismi*, omnes suos motus peragere, nequit assumi in systemate *harmonia præstabilitæ*, nisi ut pura *hypothesis*. Etenim, si secus, aliquid esset re ipsa sine *ratione sufficienti*, cur existat potius, quam non existat.

## A N I M A D V E R S I O I.

173. Contrarium non sentit Cl. Volfius. Docet quippe, in systemate *harmonia præstabilitæ* pro certi assumi, possibile esse *corpus*, in quo series quadam motuum per *impressions objectorum externorum in organa sensoria*, conservari potest, ut singuli continuo consentiant singularis perceptionibus, atque appetitionibus, & aversionibus animæ, eodem prorsus ordine sese invicem consequentes, quo animæ modificaciones sese invicem excipiunt (a). Addit quoque possibilitatem corporis, vi, *soliū mechanismi* sese moventis, demonstrari a priori ab eo tantum posse, qui motus istos, & unius ex altero præexistenti existentiam distinctissime exponere valet: id quod propter mechanismum cerebri nobis ignotum, nec facile detegendum, nemo audere debet (b). Dixerat etiam paulo antea, ex motu in cerebro præexistente non nisi probabiliter inferri motum spirituum animalium in nervos motorios influentium; cum demonstrari non possit, seu distincte explicari nequeat, quomodo vi motus præexistentis, directio spirituum animalium ad influxum in nervos motorios necessaria prodeat (c), idque illud esse, cuius cognitio desideratur, ut a posteriori demonstrari possit corporis istiusmodi possilitas (d). Non enim aliud video eo loci ab ipso Viro Cl. observatum, ex quo, si daretur, possilitas corporis, vi *soliū mechanismi* omnes suos motus continua serie peragentis, posset a posteriori ostendi. Non negat demum, paradoxon videri, corpus tanto artificio esse constructum; sed id quidem inde esse, quod simile quid nos vidisse, nobis concii non simus. Hinc vero (illius sunt verba) adversus possilitatem ipsius nihil concluditur (e).

O 4

ANI-

(a) Psychol. ration. § 617.

(d) Ibidem in not. ad §. 617.

(b) Ibidem in not. ad §. 617.

(e) Ibidem.

(c) Ibidem in not. ad §. 615.

## ANIMADVERSIO II.

174. Habendum est pro mera *hypothesi*, quod idem Vir Cl. paulo ante docuit, videlicet in *systemate harmonia præstabilitæ*, vi mechanismi corporis, ex ideis materialibus sensibilium nasci motus volitionibus, & appetitionibus animæ respondentes, citra ullam determinationem extrinsecam immediatam (a), ab anima pendentem (b). Id, inquam, pro mera *hypothesi* habendum est. Neque enim arbitrari potest Cl. Author, id ab se ostendi, nisi contradicere sibi velit, primo cum ait, in *systemate harmonia præstabilitæ* supponi possibile tale corpus, quod vi solius mechanismi omnes humanos motus producat (c): secundo, cum docet, possibilitatem hujuscemodi corporis a priori non posse evincit, & aliquid adhuc desiderari, ut a posteriori ostendatur (d). Præterea licet detur, *nullo principio externo opus esse*, quale, ut ipse ait, in *systemate influxus physici supponitur vis animæ in spiritus animales influens*; in *systemate causalium occasionalium omnipotentia divina*, seu *potentia Dei infinita*, licet, inquam, detur, nullum istiusmodi principium requiri, ut corpus suos motus peragat, non tamen sequitur, citra determinationem ullam extrinsecam (ab anima pendentem) motus voluntarios in corpore per mechanismum corporis, ex aliis motibus in eodem naturaliter præexistentibus oriri (e); quin prius ostenderit Cl. Author, corpus non posse determinari ab anima, nisi vel quatenus physicam qualitatem illi communicet, vel quatenus occasionem Deo præbeat, ut hosce motus in ipso corpore producat: quod nullibi ab eo factum invenio, neque fieri posse puto. Fateor, a nobis non intelligi, quomodo humana mens determinare queat corpus ad eos agendos motus, quos ipsa imperat, si neque aliquam realem qualitatem corpori illa communicet, neque volitione sua occasionem præbeat Deo, ut eos ipse efficiat. Verum non propterea dicendum puto, modum alium ab hisce diversum dari non posse. Sicuti enim naturam mentis nostræ non omnino perspectam habemus, ita nonnisi temere contendere possumus, hoc dumtaxat, vel illo modo ipsam posse operari, & corpus movere; quemadmodum, eodem auctore Volfio, neque ipse *influxus physicus* (per qualitatem realem corpori impressam) potest rejici tamquam falsus, quod nullam ejus habeamus notionem (f); neque ex eo, quod animæ actio in corpus a nobis non observatur, colligi-

pa-

(a) Psychol. ration. §. 615.

(c) Ibidem in not. ad §. 637.

(b) Ibidem §. 616.

(e) Ibidem §. 615.

(c) Ibidem §. 617.

(f) Ibidem §. 575.

*poteſt, quod non detur* (a); *cum plura ſint, de quorum exiſtentia dubitare nequimus, licet eorum natura plane in abdito delitescat.* Itaque oſtendat primo Vir Cl., tribus tantum modis poſſe humaṇum corpus ad mentis nutum ſuos motus peragere, nimirum vel juxta ſyſtema influxus physici, vel juxta ſyſtema cauſarum occaſionalium, vel vi ſoliuſ mechanifmi, & tunc non peccabit fallacia imperfecta enumeraſionis, cum ait: *quoniam ad hoc, ut iſti motus (voluntarii) naſcantur (in corpore), nullo principio extero opus eſt, quale in ſyſtemate influxus physici ſupponitur vis anima in ſpiritus animales influens; in ſyſtemate cauſarum occaſionalium omnipotentia divina, seu potentia Dei infinita; citra determinationem ullam extrinſecam motus voluntarii in corpore per mechanismum corporis ex aliis motibus in eodene naturaliter praexiſtentibus oriuntur* (b).

## PROPOSITIO III.

*Animam rationalem, & corpus, cui illa conjungitur, eſſe duo veluti automata, quorum unum ab altero in ſuis functionibus exercendis nullo modo reiſpa dependeat, vel omnino falſum eſt, vel nullius effectus ſua efficiens cauſa cognosci per experientiam poſteſt, certoque determinari.*

175. Probatur. Etenim, ſi experientiam conſulamus, tantam connexiōne deprehendimus inter perceptiones mentis, & certas mutationes corporis, & vicifim inter quosdam motus corporis, & volitiones mentis, quanta nobis appetit inter efficientem realem cauſam, ejusque effectum. Sicuti enim poſita cauſa efficiente reali ponitur effectus; ita, facta certa mutatione in ſenſoriis corporis ex rerum ſenſibilium appulu, excitatur statim in anima rerum earum perceptio (§. 139.), & quidem ea lege constanti, ut quemadmodum perfectio effectus respondet virtuti ſuę cauſae, eamque adæquat (P. I. §. 305.) ita perceptio rei proportionaliter respondet impressioni factae in organo ſenſorio, adeo nimirum ut clarior, vel obſcurior ea sit, prout magis, vel minus valida fuerit impressio (§. 143.). Similiter, poſita in anima volitione motus, statim motus ipſe in corpo- re conſequitur; is tamdiu durat, quamdiu anima placet; ceſſat vero, quin ne minimum illius veſtigium ſuperſit, quamprimum vult mens, ut moxa membra quiescant (§. 145.). Ergo, ſi tanta conne- xio, quam, experientia duce, inter ceteras operationes mentis, & quosdam motus corporis deprehendimus, ſufficiens ratio non eſt, ut  
mens

(a) *Psychol. empiricæ* §. 956.(b) *Psychol. ration.* §. 615.

mens a corpore, & corpus a mente in suis exercendis functionibus aliquo reali modo dependere dicatur; neque ea haud dissimilis connexio, quæ, itidem per experientiam, inter realem causam, ejusque effectum attingitur, sufficiens ratio nobis erit, ut denominacionem *causa*, atque *effectus* illis jure tribuamus; ac proinde vel falsum est, mentem, & corpus esse duo, a se mutuo penitus independentia, automata, vel dicendam, nullius effectus naturalis posse a nobis, experientiae testimonio innixis, realem efficientem causam certo determinari. Nullus enim effectus ab eo est, tamquam ab effidente causa, a quo realiter non dependet.

Opponet forte nonnemo, ad denominationem *causa* alicui rei tribuendam necessario requiri, ut illius actio cognoscatur. Sed contra: quia tunc nullius ferme effectus naturalis ea erit causa, cui effectus ipse jam vulgo tribuitur. Nulla siquidem ferme est, cujus actio nobis sit perspicua. Sic neque magnes erit causa motus, qui ad illius praesentiam in ferro contingit; neque lucidum corpus, ut alia omittam, erit illius luminis causa, quod, ipso posito corpore, per medium diaphanum quoquoversus diffunditur; cum nemo sit, qui magnetis in ferrum, luminosique corporis per medium diaphanum actionem clare, distincteque cognoscat. At dicet alius, ex connectione, quæ inter duo quædam apparet, non posse legitime inferri, unum esse alterius causam, si aliunde constet, eam proportionem inter illa non haberet, quæ requiritur, ut unum causa alterius jure dicatur; atque hinc mentem non posse statui pro causa motuum corporis, ut pote quæ ad eos producendos sit improportionata. Verum in oppositum est; quia, omnino gratis dicitur, mentem non ita influere in corpus posse, ut illud valeat ad motum determinare. Mentis quippe naturam non ita perspectam habemus, ut certo nobis constet, quid ipsa possit, quidque non possit. Scimus, eam esse substantiam cogitantem. At ignoramus, an hæc sola ei potentia insit. Connexio, quæ datur inter illius volitiones, & quosdam corporis motus, argumento est, aliam quoque potentiam in illa haberet, licet modum, quo hanc exerceat, ipsi ignoremus. Sed hac de re alibi plura. Monuisse in præsens sufficit, sine sufficienti ratione mentem nostram ad movendum corpus, cui juncta est, censi proportionatam.

#### C O R O L L A R I U M.

176. Igitur aut nullius effectus naturalis sua efficiens causa definiri per experientiam potest, aut fallunt principia, quibus systema præstabilitate harmonia innititur.

AN-

## ANIMADVERSIO I.

177. Tantam esse connexionem, si experientiae habeatur ratio, inter certas operationes mentis, & quosdam corporis motus, quanta inter realem causam, ejusque effectum deprehenditur, aperte docet etiam suminus ipse harmonista Volfius. Sic enim probat, pro certo tenendum in omni systemate, mentem atque corpus ita se habere, ac si anima vi sua produceret motus voluntarios in corpore, & corpus vi sua produceret perceptiones rerum sensibilium in anima. Cum experiamur, inquit, si objecta externa in organa sensoria rite constituta agunt, eo ipso momento ori ri quoque perceptiones, quibus eadem tamquam extra nos representamus (§. 948. Psychol. empir.) ; adeoque, positis mutationibus in corpore, poni quoque mutationes in anima; illis vero sublatis, has quoque tolli, istis impeditis, has etiam non oriri; posita vero causa efficientis sufficienti actione ponatur effectus (§. 898. Ontol.); consequenter, ea cessante, vel impedita, cessare quoque, vel impediri effectum, perceptiones rerum sensibilium videntur effectus actione corporis in anima producti; atque adeo perceptiones rerum sensibilium in anima eo modo oriuntur, ac si corpus in animam ageret, seu in eadem influeret. Similiter cum experiamur, quorundam organorum corporis motus status consequi, quando anima eosdem vult (§. 953. Psychol. empir.) atque adeo posita volitione animae, poni motus voluntarios in corpore; posita nolitione, hos cessare, vel prorsus non produci; constet vero, posita actione causa efficientis sufficientis, poni effectum (§. 898. Ontol.), motus voluntarii in corpore videntur effectus actione animae producti, & cessationes motuum effectus pares videntur; atque adeo motus voluntarii in corpore oriuntur, & cessant eodem modo, ac si anima vi sua eosdem produceret, ac sisteret, consequenter in corpus ageret, seu in idem influeret (a). Ergo, si nullus est realis influxus mentis in quosdam motus corporis, neque corporis in perceptiones mentis, licet tanta inter volitiones mentis, & motus corporis, & vicissim inter mutationes corporis, & perceptiones mentis connexionio sit, ut illa non esset major, si mens in corpus, & corpus in mentem reipsa influeret, fateatur & ipse Vir Cl. necesse est, efficientem nullius effectus causam posse ex hoc capite definiti.

## ANIMADVERSIO II.

178. Si det Cl. Volfius, inter operationes mentis, & quosdam motus corporis eandem prorsus connexionem a nobis deprehendi

quæ

(a) Psychol. ration. Demonstrat. §. 537.

quæ inter illa appareat, quorum unum *cæsa* alterius dicitur, dandum quoque ab eo est, mentem, & corpus ita se habere in homine, quem intrinsecus constituant, ut in perceptionibus pròducendis mens a corpore, & in quibusdam peragendis motibus corpus a mente re ipsa dependeat. Etenim, si secus, non video, quomodo vel manca non sit illius doctrina, vel non sint falsa, quæ ipse tradit. Loquens namque Vir doctissimus de rerum dependentia, ait, *unum ens dependere ab alio, quatenus in hoc continetur ratio, cur illud existat* (a). De reali autem dependentia ab eo agi hoc loco, res videtur certa; cum non aliter *principium*, & *principiatum*, quorum unum re ipsa ab alio dependet, ipse exponat: *principium scilicet vocans, quod in se continet rationem alterius: principiatum vero, quod rationem sui in altero habet* (b). Hujus ergo Viri judicio, unum re ipsa dependet ab alio, cum ita se habent, ut in uno, cur alterum sit ratio continetur. Docet autem, unius rationem in altero contineri, cum, posito hoc altero, illud quoque existit. Enimvero explicans hoc *principium: si vel demonstratione, vel experientia patet, ideo esse A, quod ponatur B, ipsum B erit ipsius A ratio sufficiens* (c), ait: *amplissimi usus est theoremam præsens, quod ita quoque enunciari poterat: quo posito, aliquid ponitur, illud ejus ratio sufficiens est* (d). Ergo unum re ipsa dependet ab alio, si hoc posito, illud etiam ponatur. Quamobrem, cum & ipse doceat, ut vidimus superiori loco, *positis mutationibus in corpore, ponit quoque mutationes in anima; illis vero sublatis, has quoque tollit: istis impeditis, has etiam non oriri; ac similiter posita volitione anima, ponit motus voluntarios in corpore; posita nolitione, hos cessare, vel prorsus impediri* (e), concedere quoque debet, mentem a corpore, & corpus a mente in suis functionibus exercendis aliquo reali modo dependere; ac propterea non satis sibi consentire, cum ait, *in anima dari seriem perceptionum, & appetitionum vi propria productarum citra ullam realem animæ a corpore dependentiam, & in corpore dari seriem motuum, vi mechanismi ex se invicem nascentium, & ab impressionibus in organa sensoria a sensibilibus factis pendentium, citra ullam realem dependentiam corporis ab anima* (f). Manca vero est illius doctrina, si, ut unum continere censeatur rationem sufficientem existentiae alterius, satis nequaquam sit, ut nobis certissime constet, uno posito, alterum itidem poni. Manca, inquam, est, si hoc medium fallit; quia nullibi ab eo traditur, quod sciām, undenam colliga-

(a) *Ontologiae* §. 851.(d) *Ibidem in not. ad §. 129.*(b) *Ibidem* §. 866.(e) *Psychol. ration. in demonstr. S. 537.*(c) *Ibidem* §. 129.(f) *Ibidem in demonstr. S. 618.*

ligatur, rationem sufficientem unius in altero comprehendi.

## A N I M A D V E R S I O III.

179. Verum hac super re me vehementer movet ratio, qua laudatus Cl. Auctor ostendit, ex serie motuum in corpore rationem reddi posse, cur perceptiones, & appetitiones in anima jam orientur, & vicissim, ex serie perceptionum, & appetitionum in anima reddi posse rationem, cur jam in corpore orientur motus (a). Hæc enim ratio est, quam ad id probandum ille assumit: *In anima*, inquit, datur series perceptionum & appetitionum (§. 612.) vi propria productarum (§. 613.) citra ullam realem anime a corpore dependentiam (§. 614.), & in corpore datur series quadam motuum (§. 612.) vi mechanismi ex se invicem nascentium, & ab impressionibus in organa sensoria a sensibilibus factis pendentium (§. 615.), citra ullam dependentiam realem corporis ab anima (§. 616.). Quoniam earum una alteri constanter consentit (§. 612.), nulla in anima datur perceptio, vel appetitio, quin aliquis ipsi in serie motuum respondeat motus; nec vicissim aliquis in serie motuum datur motus, quin eidem in serie perceptionum & appetitionum aliqua respondeat perceptio & appetitio, ut nullus supponatur anime, ac corporis in se invicem actio. Atque adeo per naturam & essentiam anime & corporis intelligitur, cur perceptiones & appetitiones in anima, & motus quidam in corpore eodem tempore contingent, consequenter in anima, & corpore continetur ratio sufficiens continuatatis temporis, quo perceptiones & appetitiones in anima, & utriusque consentientes motus in corpore contingunt (§. 56. Ontol.). Ex modificationibus adeo anime ratio reddi potest motuum in corpore, & ex motibus in corpore modificationum anime, scilicet cur dato hoc in corpore motu, detur jam hic in anima perceptio, vel appetitio; & vicissim cur data hac in anima perceptione, vel appetitione, detur jam hic in corpore motus (§. 42. Cosmol.). Duo itaque sunt in hoc argumento, quæ simul stare mihi non posse videntur. Primum est: animam producere suas perceptiones, & appetitiones citra ullam realem a corpore dependentiam; & in corpore dari seriem motuum vi solius mechanismi, citra ullam dependentiam realem ipsum corporis ab anima. Alterum vero: ex modificationibus anime rationem reddi motuum in corpore, & ex motibus corporis modificationum anime, sive in anima, & corpore contineri rationem sufficientem continuatatis temporis, quo perceptiones & appetitiones in anima, & utriusque consentientes motus in corpore contingent. Si namque nulla est dependentia-

men-

(a) Physic. ration. in demonstrat. §. 618.

mentis a corpore in suis perceptionibus producendis, neque corporis a mente in suis agendis motibus, nihil est in corpore, quod sit *ratio sufficiens*, cur modo ita operetur mens, neque aliquid habetur in anima, quod *sufficiens ratio* esse possit, cur corpus ita moveatur. Non enim sine dependentia unius ab alio potest *sufficiens* unius *ratio* in altero contineri. Et vicissim, si in anima & corpore continetur *ratio sufficiens* continuatatis temporis, quo perceptiones, & appetitio-nes in anima, & utrisque consentientes motus in corpore contingent, videtur tum anima a corpore, tum corpus ab anima in suis exer-cendis functionibus realiter dependere. Etenim, ipso auctore Volfio, ens unum A dicitur dependere ab altero B, quatenus ejus, quod ipsi A in-existit, *ratio* in hoc altero B continetur (a). Ceterum an hæc Volfi ratio legitimate concludat, infra opportunius expendetur.

## ANIMA DVERSIO IV.

180. Dicet forte nonnemo, seriem perceptionum definitam esse a Deo in qualibet anima dependenter ab iis mutationibus, quas in organis sensoriis corporis, cui eam copulare decrevit, prævidit Deus ipse certo futuras, & ideo mentem cuiuslibet hominis in productio-ne idearum dependere a corpore, cui juncta est, non quidem prout re ipsa existente, sed prout a Deo præviso: videlicet ab illo depen-dere, tamquam a norma, juxta quam determinata a Deo fuerit in ipsa mente futurarum idearum series. Sed nullum est hoc effugium, si probe consideretur res, & cum Volfii doctrina conferatur. Primo enim hinc sequitur, *harmonistarum* systema a systemate *occasionalista-rum* parum differre. Videtur quippe, Deum modificare animam in gratiam corporis, quemadmodum docent *occasionalistæ*, si series idea-rum determinetur a Deo in ipsa anima ex prævisione mutationum, quæ in corpore sunt futuræ. Secundo: series idearum nequit a Deo in anima determinari, nisi ipsa anima ita ponatur capax cuiuslibet idea-rum, ut ad nullam prorsus sit per suam essentiam, sive naturam determinata. Ergo fallitur Volfius, cum docet, vim *repræsentativam universi* esse na-turam animæ, quatenus *repræsentationes istas actuat*; essentiam vero, qua-tenus ad tales potius, quam alias, tali potius, quam alio ordine actuan-das, *restringitur* (b). Non enim video, quomodo essentia animæ con-fistere possit in vi *repræsentativa universi*, prout ad certam producen-dam idearum seriem determinata, si ipsa anima sit natura sua ad om-nes.

(a) *Ontol.* §. 851.(b) *Psychol. ration.* §. 68.

nes ideas indifferens, sive ad nullam per suam essentiam determinata. *Tertio*: si mens habet a Deo, ut hanc potius, quam aliam idearum seriem producat: igitur in rerum ideis producendis ab externo principio mens ipsa dirigitur; & ideo sibi contradicit laudatus Auctor, cum docet, *per systema harmonia præstabilitæ defniri, vim animæ (productivam idearum) non dirigi a principio externo* (a). *Quarto*, sibi quoque adversatur, posita superiori doctrina, Vir Cl., cum ait *ipso sammet animam dirigere vim repræsentativam universi, ita ut sit totius perceptionis, quam habet, causa sufficiens* (b). Quippe, si a Deo determinatur mens, ut hanc potius, quam aliam idearum seriem producat, jam non est ipsamet anima, quæ vim illam dirigat. Adde, ideo per Volfium non dirigi humanam mentem ab externo principio in producenda serie idearum, sed a seipsa dirigi in hoc negotio quia *vi sibi essentiali, & naturali ideam totius universi mens ipsa præducit* (c): ergo mens cuiuslibet hominis ita vi sua rerum ideas præducit, ut, etiam ipsiusmet Volfii judicio, sit per suam essentiam, & ideo non ab extrinseco, ad certam præducendam idearum seriem determinata. *Quinto*: non potest dici, seriem idearum determinatam esse a Deo in anima ex prævisione mutationum, quæ futuræ sunt in corpore, cui juncta est, nisi corpus, in quo una potius, quam alia futura sit mutationum series, ponatur possibile. Anima autem, si audiamus Volfium, *talem habens seriem perceptionum possibilis intellegitur, etiamsi nullum possibile supponatur corpus, in quo series motuum harmonicorum detur* (d). Ergo aut Volfius sibi constans non est, aut dicat oportet, seriem idearum ex prævisione mutationum in corpore, cui jungenda erat, non fuisse in anima a Deo determinatam. *Sexto*: docet Cl. Auctor, *harmoniam inter mentem, & corpus præstabilitam a Deo non fuisse, dum seriem perceptionum ita constituit, ut seriei motuum, qua antecedenter ad illam tamquam possibilis sumitur, consentiat* (e); sive neque corpus effectum esse juxta seriem perceptionum, & appetitionum animæ, neque animam juxta seriem motuum corporis (f). Ergo dicere sine piaculo nequit Vir doctissimus, ideas determinatas a Deo fuisse in anima dependenter a mutationibus, quas in organis sensoriis corporis, cui illam copulare decrevit, præviderit ipse futuras. *Postremo*: si mens cuiuslibet hominis indifferens est per suam essentiam ad quamlibet idearum seriem præducendam, istiusmodi ipsa est, ut cuilibet corpori a Deo copulari ex æquo potuerit. Contrarium autem

aper-

(a) Psycol. ration. in not. ad §. 613.

(d) Ibidem §. 625.

(b) Ibidem.

(e) Ibidem.

(c) Ibidem. demonstrat. §. 613.

(f) Ibidem in not.